ANALYSIS

LIB. ARISTOTELIS DE SOPHISTICIS ELENchis, in qua ſingula capita per quæſtiones & reſponſiones perſpicuè & dilucidè exponuntur,

Adhibitis

Quibuſdam ſcholiis ex optimis quibuſq; interpretibus deſumptis, in quibus natura & modi Fallaciarum plenè explicantur,

Necnon

Exemplis, partim Sophiſtarum Paralogiſmis, partim Hæreticorum Elenchis illuſtrantur,

operâ & ſtudio G. P. *Oxonienſis confecta & edita in vſum iuniorum.*



OXONIÆ.

Ex officina *Joſephi Barneſii.* 1598.



ILLVSTRISSIMO NOBILISSIMOQVE VIRO ac Domino D. ROBERTO, ESSEXIæ Comiti, aureę periscelidis Equiti aurato, Magistro equorum Regiæ Maiestatis, Serenissimæ Reginæ Elizabethæ à consiliis, *totius Angliæ Comiti Mareschallo ac Polemarcho, et Mæcenati suo colendissimo.*



Vatuor effluxerunt anni (illustrissime Comes) ex quo celsitudinẽ tuam qualiscunq; mei libelli in Analytica Arist. conscripti non tam participem reddiderim, quàm patronũ elegerim: Quamvis (ingenuè fateor) si vel ipsius subiecti naturam consideres, vel authoris respicias condicionem, indignus prorsus extiterit, qui vel in tanti viri conspectũ veniret, nedùm in patrocinium susciperetur. Sed is

 est

est animi tui candor, vt, quamvis magnus reverà sis, tamen ea, quæ parua sunt, non despicias, necnon parua nonnunquam pro magnis, et quæ videntur magna, pro paruis reputes. Hinc fit, vt maximi quiq; te vereantur, infimi colant, ament omnes. Hinc fit, vt cuncti ad te, tanquam ad tutissimam anchoram & asylum confugiant: qui, velut alter Apollo, non solùm responsa dare, sed omnibus, auxilium implorantibus, auxilium & salutem soles impertiri: sic

Non dubitas cunctis virtutē extendere factis.

Terent. in Adelph.

Sed vereor cum Ctesiphonte apud Comicum *coràm in os te laudare ampliùs, ne id assentandi magis, quàm quod habeam gratum, facere existimes.* Veruntamen, liceat mihi iisdem apud te verbis vti, quibus idem Ctesiphon apud eundem Comicum vsus est:

Ibidem.

Quid ego nunc te laudem? satis certò scio,
Numquam ita magnificè quicquam dicam,
Id virtus quin superet tua.

Ergo,

Macte tua virtute Comes, sic itur ad astra.

Sed vt eò redeat oratio mea, vnde est digressa, en tibi (ter nobilis Comes) alterum libellum, similem priori oratione & stylo.

nec

nec argumento multùm dissimilem: quem in cunis vagientem & prelo non commissum superiori æstate paulò antè quàm exercitum Anglicanum in expeditionem educeres, in manum perquàm benignè accepisti; ex quo tantus in illo vigor apparuit (sicut scribit Trogus de Cyro infante exposito, cùm in manum nutricis suę acciperetur) vt relictis incunabulis, et fasciis, quibus tunc fuit involutus, deiectis, iam ferè ex ephebis excedat, et vltrò ad tuam celsitudinem sine duce confugere expetat vehementer: Qui etiam citiùs ad eandem confugisset, si ex preli vinculis, quibus fuit detentus, effugere, et ex Typographi manibus & severitate potuisset evolare. Hunc igitur ad te confugientem accipe (nobilissime Comes) atque eò magis, quòd iam antè eum accepisse sis dignatus, eumque cum altero illo repone, vt vterque mei officii erga tuam amplitudinem σημεῖον, necnon obsequii mei erga eandem τεκμήριον extet, et coniunctis viribus huic possit subservire. Quod ad me attinet, siquid in hac re erraverim (sicut vehementer me errâsse fateor) quā humillimè à te cōtēdo, vt illud ꝓ solitâ tuâ benignitate æqui boniq; cōsulere, nec tàm valētis vires, quā volentis animū velis ponderare. Quod reliquū est,

Iustin. lib. 1.

est, illud ipsum, quod olim Pluto semel optavit Tucrito seni, ego tibi indiès non tàm optabo, quàm à Deo, ut fiat, precabor:

Euge, diutissimè vivas, unâ & divitijs abũdas:

Neq; prius moriaris, quã hostes tuos præmittas.

Deus Opt. Max. tuam celsitudinem Ecclesię, Reipub. et tuis quàm diutissimè in hac vitâ conseruet incolumem: in futurâ sempiternam beatitudinem dignetur elargiri. *Oxonij è Collegio Iesu Tertio Nonarum Aprilis.*

Tuæ celsitudinis studiosissimus,

GRIFFINVS POWEL,

Maridunensis.

Habes iam tandem (Lector Academice) id aliqua ex parte præstitutum, quod tibi iampridē sum pollicitus: nempè Analysin lib. Arist. de Sophisticis Elenchis, eamq; scholijs munitam, in quibus ea, quæ in illâ sunt omissa, comprehenduntur. Quātum oneris in hac Analysi parturiendâ subierim, quantum laboris in ea pariendâ sustinuerim, quātum deniq; negotij in ea efformandâ & perpoliendâ susceperim, tibi (Lector erudite) non alijs, iudicandum relinquo. Fateor me in altera illa Analysi Analytic. Poster. multum levationis & auxilij ex interpretibus accepisse, in hac verò ferè nullum. Nullus enim interpretum (vt benè nosti) cōtextum ipsius Aristotelis plenè vnquam reseravit, explanavit planè nullus. Qui primas in hac re obtinēt, sunt Niphus & Pacius: quorum vterq; mihi post bellum finitum in subsidium venit: vtriusq; tamen ope & operâ in quibusdam locis explicandis vsus sum. Quod ad reliquos interpretes attinet, fateor naturam locorum sophisticorum sivè Fallaciarum eorum nonnullos rectè explicâsse, contextum autem illorum attigisse neminem, neq; exempla sivè captiones, quæ apud Aristotelem reperiuntur, aliqua ex parte vllum illustrâsse. In Analysi versionem siuè interpretationem Iulij Pacij, vtpotè quæ reliquorum omnibus facilè antecellat, præterquàm in capitum distinctionibus, sequutus sum.

sunt. In Scholiis ex optimis quibusque interpretibus, quas nancisci potui, desumptis usus sum & [illegible] omniumque Fallacias satis plane (ut arbitror) & dilucide explicavi, necnon singulas exemplis sive Elenchis partim Sophistarum, partim Haereticorum illustravi, adeo ut hic meus labor non solum tyronibus, sed etiam adultis, & iis, qui sacrarum literarũ lectioni operam sunt navaturi, si nõ prodesse, at certe aliquam lucem afferre possit. In his omnibus (lector Academice) tuo iudicio me submitto: Quae cum exposuero, si falsa tibi videbuntur esse, sequar autoritatem tuam, mutabo meam sententiam. Signa ergo desint ad huius operis mei consũmationem, cum Aristotele à te obnixe contendo, ut bonâ cum veniâ velis condonare: si qua recte explicata, si non multâ, tamen aliquâ eo nomine gratiâ me prosequi digneris. Vale.

Cicero in 2. Agrar.

In 1. Elench. in fine.

Liber ad Lectorem.

A domino multi dudum petiere, liceret
   His, me carminibus condecorare suis;
Sed renuit. Nam si non dignus laudibus ipse
   Sim, hos me laudatum reddere posse negat.
Non impostores curo, non curo Sophistas:
   Invide nec dentes, Zoile, curo tuos.
Curo si possim Logico prodesse tyroni:
   Auribus & doctis me placuisse iuvat.



De Inscriptione horum librorum.

Hi duo libri vulgò appellantur libri de Sophisticis Elenchis: *hoc est, in quibus traduntur Elenchi; quibus Sophistæ in disputationibus, seu potiùs altercationibus suis vtuntur. Hanc inscriptionem satis benè intelligemus, si primò, quid* Sophista, *deindè quid* Elenchus *denotet, explicabitur. Sophistæ apud Athenienses olim dicebantur viri sapientes, & eloquentiæ aliarúmque bonarum Artium Doctores: Atque id nomen suâpte naturâ honestissimum fuit, vt* Tyranni: *qui non alius est, quàm Rex, aut Princeps, qui vnus rerum potitur; id quod ex Xenophonte, Isocrate, Demosthene átque alijs facilè intelligitur. Tandem vt fit, quorundam inscitia & improbitas omnibus invidiam peperit: itaque factum est, vt* Sophistæ *appellarētur, qui ostentationis aut quæstus causâ philosopharētur. Hi homines reverà ignari sunt, omnem tamen eruditionem & sapientiam impudenter sibi arrogant & assumunt, cùm neutrius vel scintillulam habeant: verùm quia sapientes imitantur,* Sophistarũ *nomen sortiti sunt. Nam* σοφοὶ *sapientes, et* σοφισαὶ *sapientum imitatores significant. Hinc Theætetus apud Platonem.*

Sophistæ qui?

Hieronymus Wolfius in 13. orationis Socratis Argumento.

Sapi-

Sapiẽtem (inquit) vocare illum sophistam non licet, quandoquidem ignorantem ipsum posuimus: quoniam verò sapientẽ imitatur, cognomentum quoddã illius simile sortietur, ac demum intelligo hunc ipsum prorsùs ac reverà Sophistam *appellari decere. Hæc Theatetus. Magna Sophistarum colluvies extitit Socratis, Platonis Aristotelis & Isocratis temporibus: quales fuere Protagoras, Gòrgias, Hippias, Euthydemus, Dionysodori fratres & multi alij, sicut ex multis Dialogis Platonis cõstat: qui prædictos Philosophos, sicut in ijsdem Dialogis apparet, improbis calũnijs, acsi improbi ac prorsùs ignari fuissẽt, exagitarũt, necnõ summũ odiũ illis conflarũt. Isocrati hos maximè fuisse infestos, testatur ipse his verbis.* Ego cum honestè, ac sine cuiusquã molestia vincere perpetuò studuerim, ab improbis & obscuris quibusdam Sophistis nullo non tempore sum calumniis exagitatus: vnde, cum alii me non satis pernossent, talem iudicarunt, qualem esse ab aliis audierãt. *Hinc Isocrates in* Sophistas *in quadam oratione, quæ inscribitur* Contra Sophistas, *vehementer invehitur, vt qui præter quæstum nihil propositum habeant, et inanium pollicitationum magnificentiâ non alios tantum decipiant, sed & semetipsos, et omnes eruditos in summum odium & invidiam adducant. Hinc sophista ab Aristotele definitur.* Sophista est aucupator pecuniarum, sivè qui quæstum facit ex ea sapientia

quæ videtur esse, nec est. *Hinc etiam Suidas: Sophista (inquit) omnis artifex, et qui eloquentiam exercet, et qui in verbis calumniatur voluntariè, est autem deceptor, et multa quærit. Plato Sophistam statuit esse duplicem: Unum simplicem quendam imitatorem, qui putat se scire ea, quæ opinatur: alterum simulantem imitatorem, qui timet & suspicatur, quòd ignoret ea, quæ erga alios scire se simulat. Plura de Sophista vide in Scholijs c.2.1.lib. Elench. Quod ad Elenchi vocem attinet, notandum est, quòd Elenchus nihil aliud est, quàm Redargutio sivè reprehensio: à verbo ἐλέγχω, quod est redarguo et reprehendo. Elenchus etiam significat Argumentum. Elenchus ab Aristotele definitur,* syllogismus cum cõtradictione conclusionis: *sed notandum est Elenchum propriè sumptum itá definiri. Nam Elẽchus sophisticus, sivè quo Sophistæ vtuntur, non est verè Elenchus, sed æquivocè tantum, et nomine tenus. Sophista enim sicut syllogismos apparentes & non veros concludit: ita & Elenchum non verum, sed apparentem conficit: hoc est, videtur Syllogismum & Elenchum conficere, quamvis reverà non conficiat. Sensus ergo inscriptionis horum librorum, est, quòd in ijs agit Arist. de Elẽchis illis falsis et fucatis, quibus Sophistæ & impostores in disputationibus suis vti consueverunt. Sed notandũ est, quòd dicitur ὁ Ἔλεγχος: Et τὸ Ἔλεγχος: quorum ille Reprehensionem aut Argumentum: hoc verò probrum*

In Sophista.

Elenchus.

Li.1.Elench. cap.1.

Sensus inscriptionis horum lib.

probrum & dedecus significat, sed τὸ ἔλεγχος ad nostrum institutum non spectat. Nonnulli volunt inscriptionẽ horũ librorũ, nempe, De sophisticis Elenchis sivè de Reprehensione Sophistarum, *duobus modis posse intelligi, nempè activè & passivè: unde duplicem illius sensum esse statuunt: unus est, quod Aristoteles in his libris reprehendit Sophistas: Alter est; q. in his agit de Elenchis sivè reprehensionibus, quibus utuntur Sophistæ quibusq. alios reprehendunt. Prior sensus valdè improprius est, et alienus ab hac inscriptione. Ergo in posteriori sensu hic accipiendũm Puto. Nam cum triplex sit syllogismus: Demonstrativus, Dialecticus, (sub quo Tentativus cõtinetur) & sophisticus sivè litigiosus: cumq. de Demonstrativo in lib. de Demonst. de Dialectico in octo lib. Topic. satis fusè egerit: in his duobus lib. de* Sophistico *satis copiosè agit: Non enim satis est, ea quæ sunt bona & salutaria cognoscere, sed etiam quæ sunt mala & nociva, quales sunt sophistici Syllogismi & Elenchi, scire oportet, non ut omninò recipiantur, sed ut prorsus reyciantur, Malum enim cognitũ faciliùs evitatur. Ne ergo decipiamur à* Sophistis, *hic Arist. captiosas eorum argumẽtationes & Elenchos, quibus simplices ac imperitos adoriuntur, unâ cum earum solutionibus ob oculos proponit. Notandum est Elenchum tribus modis ab Arist. in his duobus lib. usurpari: Primò propriè pro syllogismo cum contradictione Conclusionis. Ut in cap. 1. lib. Secundò pro*

Elenchus tribus modis accipitur.

1

2

pro prima Meta Sophistarum, nempè pro Redargutione. Tertiò pro Elencho Sophistico, qui duplex est: unus specialis, qui nihil aliud est, quam Paralogismus, sive captiosa & sophistica argumentatio, quæ videtur esse Elenchus, sed non est. Alter generalis, qui est locus Sophisticus, ex quo Paralogismi deducuntur: in quo sensu sumitur ab Arist. li. 1. cap. 3. ubi ostendit duos esse modos τȣ̃ ἐλέγχειν, per quos intelligit duos generales locos Sophisticos sive Fallacias: quarum una in dictione, altera extra dictionem consistit.

De

De diviſione & argumento horum librorum,

QVamvis hic tractatus Ariſt. De ſophiſtus Elenchis (inquiunt Lovanienſes)
apud Græcos unicus ſit liber ac ſingularis, qui in
duas partes ſolet diſtribui: Latini tamen commentatores eum in duos libros partiri conſueverunt.
Quorum ego iudicium imitatus, eandem diviſionē
retinendam cenſui. Quippè quòd hoc pacto &
lectionis tædiū aliqua ex parte levabitur (Continua enim dicendi ſeries, legentis & audientis animum fatigat) & magis perſpicua reddentur ea,
quæ aliàs obſcuriora extitiſſent. In priori libro agit Ariſt. de officio Sophiſtæ Opponentis, et de ratione conficiendi captioſas & ſophiſticas argumentationes, quibus homines imperitos adoriri & decipere conatur. In poſteriori libro agit de officio
Dialectici Reſpondentis, et de ratione diluendi
huiuſmodi fucatas Sophiſtarum ratiocinationes.
Prior liber in quatuor partes diſtribui poteſt: in
1 prima parte præmittit Ariſt. quædam generalia
& comunia, quæ ad ſophiſticas captiones declarandas adiuvant: ea tractantur in cap. 1. 2. et in principio cap. 3. In his enim oſtendit eſſe Sophiſticos ſyllogiſmos, quid ſit Sophiſticè, quid ſit Sophiſta. Quot
ſunt Argumentationum genera, et quot Sophi-
2 ſtarum ſcopi: ſicut poſteà dicetur. In ſecunda parte
ad ſpecialem Sophiſticorum Elenchorum explicationem

cationem accedit, vbi locos vnâ cum causis & collatione eorundē exponit, idq; à cap. 3. vsq; ad c. 12. In tertia parte fusiùs reliquos Sophistarū scopos & Metas explicat, et ostendit quibus modis Sophistæ ad has Metas adducere soleāt imperitos, idq; c. 12. & 13. In quarta parte agit ad dispositione & interrogādi ratione, qua vtuntur Sophistæ. Idq; in c. 14. Secundus liber quinq; parts cōprehendit. Primò ostendit Philosophus quæ sit vtilitas huius tractatus & ratio respondendi. Idq; in cap. 1. Secundò de apparenti Paralogismorum solutione agit, idq; in cap. 2. Tertiò de vera eorūdem solutione, idq; cap. 3. Quartò ostendit quæ argumentationes dignæ sunt solutione, idq; in cap. 7. Postremò Epilogum quendam subiungit, in quo summatim recenset ea omnia, quæ in his duobus libris & in octo lib. Topicorum fusiùs explicantur: vbi etiam Artium & syllogismorum inventionem exponit.

3
4
1
2
3
4
5

Ex A. Gellio lib 18. noctium Atticarum, cap. 13.

Saturnalibus Athenis aleâ quadam festivâ, et honestâ lusitabamus huiuscemodi. Vbi cōveneramus compluscuhi eiusdem studij homines, ad levandum tempus, captiones, quæ sophismata appellantur, mēte agitabamus: easq; quasi talos aut tesserulas in medium vice suâ quisq; iaciebamus: captionis solutæ, aut parùm intellectæ, præmiū pœnáve

erat numus vnus H S. Hoc ære collecto, quasi manuario cœnula curabatur omnibus, qui eum lusũ luseramus. Erãt autẽ captiones ad hoc ferè exemplum, tametsi Latina oratione non satis scitè, ac penè etiam illepidè exponuntur:


Quod nix est, grando non est.
Nix autem est alba.
Grando igitur alba non est.

Item aliud non dissimile:

Quod homo est, hoc non est equus.
Homo autem animal est.
Equus igitur animal non est:

Dicere ergo debebat, qui ad sophisma diluendum ac refellendum ritu aleatorio vocatus erat, in qua parte, quoq; in verbo captio foret: quid dari concediq; non oporteret, nisi dixerat, numo singulo mulctabatur. Ea mulcta cœnam iuvabat. Hac Gellius.

ANA-



ANALYSIS LIB. I. ARI- 1
stotelis de Sophisticis Elenchis.

CAP. I.

ARGVMENTVM.



RISTOTELES vim ac naturam Elenchorum, quibus vtuntur Sophistæ, expositurus, Naturam (vt solet) imitatus à primis huius disputationis veluti elementis exordium sumit, & in hoc cap. ostendit esse Elenchos siuè syllogismos sophisticos & apparentes similitudine quadam ducta ab ipsis rebus. Duæ sunt partes principales huius capitis: Propositio & Tractatus. In propositione duo cõtinentur. Subiectum siuè materia vtriusq; huius libri: & ordo siuè methodus, quæ in hoc subiecto pertractando obseruatur. In tractatu duo itidem comprehẽduntur: primò ostendit Philosophus esse sophisticos seu fucatos elenchos. Secundò duas causas horum exponit: vnam ex parte apparentiæ, vel Respondentis: alteram ex parte locorum, vel opponentis.

De quibus agit Aristoteles in libris Elenchorum?

Agit de [a] sophisticis elenchis, & iis, qui cum videantur esse elenchi, reverà tamen sunt [b] paralogismi, non elenchi.

Quem ordinem, seu methodum in his pertractandis obseruat?

Observat ordinem Naturæ. Nam sumpto initio secundum Naturam à [c] primis de his agit.

Suntné ergo elenchi siuè syllogismi sophistici & fucati, qui cum reverà non sint, esse tamen videntur?

[d] Maximè.

Quomodo illud probas?

Argumento ducto ab ipsarum rerum similitudine illud ipsum probo. Nam sicut se habet in ipsis rebus propter quandam similitudinem: ita etiam in ipsis argumentationibus, hoc est, in elenchis & syllogismis accidit Sed in ipsis rebus quædam verè sunt tales, quales apparẽt, & esse videntur: quędam verò non verè sunt tales, quales apparent. Ergo & in ipsis argumentationibus (hoc est, in Elenchis & Syllogismis) quædã verè sunt tales, quales apparent. Nam apparent esse argumentationes, & verè huiusmodi sunt: quædã verò non verè sunt tales, quales apparẽt. Nã apparẽt esse argumẽtationes & elenchi sivè syllogismi, cũ tamen huiusmodi re vera non sint. Et tales sunt sophistici & apparẽtes elenchi.

Quomodo Minorem propositionem huius tui argumenti probabis?

Illam tum à rebus animatis, tum ab inanimatis probabo: 1 Primò à rebus animatis, nempè hominibus, hoc modo. Inter homines alii videntur habere habitũ corporis benè constitutum, & reverà talem habent: Alii verò hunc habere vidẽtur, cũ reipsâ non habeant [f] instar tribuariarũ hostiarũ tumefacientes & apparãtes semetipsos. Item alii videntur pulchri, & verè sunt pulchri propter ipsam formã & pulchritudinẽ in ipsis inhærentem: Alii autẽ per fucũ quendam videntur esse pulchri, cum reverà tales non sint, sed adulterinã quã-
2 dam pulchritudinẽ præ se ferant. Secundò à rebus inanimatis hoc pacto. [g] Quædã videntur esse argentũ & aurũ, & verè sunt argentũ & aurum: quædã verò, cũ argentũ & aurũ non sint, tamen quod ad sensum, hoc est quadã specie iudicio sensuũ huiusmodi esse videntur. Vt [h] lithargyrina & [i] stãnea videntur esse argentea, & quę [k] felle tincta sunt, hoc est, quæ flavũ habent colorẽ, videntur secundũ externã superficiem esse aurea, quãvis reverà huiusmodi non sint. Ergo tum in rebus animatis,

matis, tū inanimatis videre licet quasdam verè tales esse, quales apparēt: quasdā non verè tales esse, quales apparēt. Eodē modo de Syllogismis & Elēchis dicēdū est. Alii enim verè sunt Syllogismi & Elenchi: alii cū non sint huiusmodi, tamen esse videntur: & his vtuntur sophistæ.

Quæ est causa huiusmodi deceptionis in hominibus, vt putent eos esse Syllogismos & Elēchos, q̄ reverà nō sunt?

Causa huiusmodi deceptionis est hominū ἀπειρία, hoc est,[l] imperitia in re Dialectica. Nā[m] imperiti homines, quasi procul distātes, contēplātur: hoc est, similes sunt iis, qui procul & à longè (vt loquū tur) res prospiciunt, qui rei naturam aut magnitudinem non cognoscentes facillimè decipiuntur.

Ratio sic colligi potest. Eadem est ratio imperitorum, quæ est eorum qui procul res prospiciunt: sed hi facillimè decipiuntur. Ergo & illi,

Quid sit Syllogismus, quid Elenchus breviter expone.

[a] Ὁ συλλογισμὸς ἐκ τινῶν ἐστι τεθέντων ὥστε συνάγειν ἐξ ἀνάγκης ἕτερόν τι τῶν κειμένων, διὰ τῶν κειμένων: id est: Syllogismus oratio est ex quibusdam sic positis, vt necessariò aliquid ab iis, quæ sunt posita, diversum colligatur, ob ea, quæ posita sunt. Ἔλεγχος ἐστι συλλογισμὸς μετ' ἀντιφάσεως τοῦ συμπεράσματος: id est: Elenchus est syllogismus cum contradictione conclusionis.

Num sophistæ Syllogismum & Elenchum faciunt?

Nequaquam: sed facere tantum videntur.

Quibus de causis sophistæ syllogismum & elenchum facere videntur?

Multis quidem de causis: sed vnus est vulgatissimus, & latissimè patens locus, nēpè, qui ex rerū [o] nominibus, hoc est, ex Homonymia & Amphibolia ducitur. Cum enim ad disputationes res ipsas, de quibus disputamus, afferre non possimus, sed nominibus, & vocabulis, quæ sunt [p] signa & notæ rerum, vti cogamur, hinc fit, vt idē vsuveniat in disputationibus, quod in supputationibus, sivè in subducēdis per calculos rationibus sæpenumerò cōtingit, nimirū, vt putemus id, quod in nominibus

evenit,in rebus etiam evenire,hoc eſt,vt nominum ſivè verborum ac rerum eādem omninò rationem eſſe exiſtimemus.

Nonnè ſimilis ac eadem eſt ratio nominum ac rerum?

Res dicuntur infinitæ comparatione tā-tum habita ad ipſorum nomina: vel dicuntur infinitæ quoad nos, quia certum earum numerum nō comprehendimus.

Nequaquam. Nomina enim & orationes,quibus res deſignamus,finita ſunt,& certo numero(ſaltem in eadem lingua)comprehenſa:res autem numero infinitę ſunt:vnde neceſſariò efficitur,vt vna & eadem oratio, nec non vnum idemq; nomen multas pluresq; res ſignificet, nec ſingula nomina ſingulis rebus ſint impoſita. Et quemadmodum(vt in præfata ſimilitudine inſiſtam)in ſubducendis per calculos rationibus rudes & imperiti,qui vſum calculorum neſciunt, nec quid ſuo quiq; loco valeant calculi,tenēt,aut cognoſcunt,à ſcientibus,& ab iis,qui in ſupputandi arte ſunt periti, facilè circumveniuntur:ita & in diſputationibus,qui nominum,& orationū vim, poteſtatem & ſignificationē non aſſequuntur,facilè paralogiſmis decipiuntur,ſivè illi diſputent,ſivè alios audiant diſputantes. Ergo & ob hanc cauſam,& ob eas,quæ poſteà ſuo loco exponentur,ſophiſtæ imperitam multitudinem paralogiſmis, ac ſi veri eſſent ſyllogiſmi,decipiunt.

Intelligit reliquos locos ſophiſticos ſivè fallacias, de quibus agit in c.3.& 4.

SCHOLIA IN CAP. I.

Duæ quæſtiones.

1

a HIc duas quæſtiones movent interpretes:prior eſt:quid Ariſt.intelligat per Sophiſticos elenchos,& eos,qui videtur eſſe elenchi, ſunt paralogiſmi, non elenchi: *quos hîc appellat,nomine τῶν σοφιστικῶν ἐλέγχων, καὶ τῶν φαινομένων ἐλέγχων, ὄντων δὲ παραλογισμῶν.*

2

Altera eſt:cur Philoſophus in numero plurali dicit ſe acturum de Sophiſticis

phisticis elenchis &c. *Quod ad priorem quæstionem attinet nonnulli respondent vitiosos syllogismos seu elenchos, quibus vtitur Sophista, in duplici esse differentia: alios peccantes in Materia, nempè cum altera, vel vtraq; præmissa est falsa: alios peccantes in Forma, cum scil. in Modo & Figura nō concluduntur: Dicunt ergo Arist. nomine τῶν σοφιστικῶν ἐλέγχων intellexisse syllogismos sivè elenchos peccantes in Materia: nomine verò τῶν φαινομένων ἐλέγχων intellexisse syllogismos siuè elenchos peccātes in Forma. Paralogismus enim propriè est syllogismus, cuius Forma est vitiosa. Lovanienses verò existimant quòd nomine τῶν σοφιστικῶν ἐλέγχων, & φαινομένων ἐλέγχων siuè παραλογισμῶν ijdem syllogismi veniunt intelligendi, nempe ij, qui videntur esse syllogismi aut elenchi, sed reverà huiusmodi non sunt: ac proinde posteriorē partem putant esse explicationem prioris. Alij deniq; respondent Sophisticum syllogismum esse duplicem: vnū, qui immediatè peccat contra elenchum: & talis vocatur* Sophisticus elenchus: *alium, qui non peccat immediatè contra elenchum, licet reductivè: & talis nō est* sophisticus elenchus, *sed videtur elenchus esse; & est* paralogismus: *hoc est, non solum vitiosus est elenchus, sed etiam vitiosus syllogismus: vnde illam particulam,* Et *vel divisiuè (vt loquuntur) vel coniunctivè & expositivè poterimus interpretari. Ego puto non magni esse momenti, vtrum divisiuè an coniunctivè & expositivè sumatur: sed*

Solutio prioris quæstionis.

Prima opinio.

Secunda opinio.

Tertia opinio.

pere precium duxi has opiniones, annotasse, ut lector, quam velit, amplectatur. Quid autem Elenchus sit, quot modis dicatur, et quomodo à Syllogismo distinguatur, partim explicatum est, partim posteà explicabitur. Quod ad secundam quæstionem, spectat, respondet Albertus Philosophum plurali, & non singulari numero vsum fuisse, quia plures sunt tales Elenchi sophistici, nec vna ratione dicuntur. Substantia enim (inquit) & Esse rei & boni ex vna tota & sola causa est: ideò vnum efficit & bonum: corruptio verò est omnifariam, vt dicit Philosophus: & ideò Esse siuè essentia Elenchi est vno modo, quia necesse est eum esse illatiuū, probativum, & contradictorium, sed corruptio eius est in vno aliquo istorum: quia deficiens in illatione est Elenchus sophisticus: similiter in probatione & contradictione, sicut posteà fusius explicabitur. Deniq; notant interpretes Aristotelem in hac prima propositione tres causas, nempe efficientem, materialem & formalem attigisse. Causam efficientem tangit, cùm dicit in prima persona dicamus. Est enim verbum Aristotelis, qui vt (inquit Albertus) hunc librū edidit. Quāvis enim Zeno quadā de sophisticis Elenchis tradiderit, non tamē ita ad scientiā & artē redegit, quēadmodum Aristoteles, Causam materialē tangit, cum dicit De sophisticis elenchis &c. Vnde sophistici siuè apparentes Elēchi sunt materia, circa quā hi duo libri versantur, & totius huius tractatus subiectū: dicitur autem

Solutio secundæ quæstionis.

Philosophus in prima propositione tres causas tangit.

1

2

tẽ magis de Sophisticis Elenchis, *quàm* de sophisticis syllogismis: *quia scopus sophistæ est, non solum syllogismum, sed etiam Elenchum conficere. Causam formalem tãgit, cum ait*: Sumpto initio secundũ Naturã à primis: *Quibus verbis (ut in analysi cap. dictum est) ordinẽ siue methodũ proponit, quam in his sophisticis Elenchis pertractandis est observaturus: Methodus autẽ alicuius tractatus vulgò nuncupatur Forma, siuè causa formalis ipsius. Cur autem causam finalem omiserit Philosophus, nõnulli hanc assignant rationẽ, quia, cũ finis & bonum sint idem, finis autem Sophistices non est per se bonus: vndè propriè finem, seu causam finalẽ nõ habet. Alij respondent causam finalem hîc omissam esse, quia posteà in initio cap. 2. eum tradit, vbi ostendit finem sophistæ esse, vt cupiat videri sapiens potiùs, quàm esse, & non videri.* 3

Finis sophistices & sophistæ non est per se bonus: sed finis huius tractatus de sophisticis elenchis est bonus. Docet enim quomodo captiones sophisticæ sint dissolvendæ.

b *Paralogismus propriè dicitur ratiocinatio, cuius forma est vitiosa: unde & nomen sumpsit.* παρὰ *enim significat* præter, *&* λογισμὸς *rationem, siue ratiocinationem denotat: quasi sit falsa & fucata ratiocinatio, quæ videtur esse, & non est. Vnde verbum* παραλογίζομαι, *falsa nẽpè ratiocinatione vti, et eâdem aliquem decipere, sivè falsis rationibus decipi: sed hoc verbũ ad omnem vitiosam & fallacem conclusionem transferri posse asserit Alexander.*

c Prima *non omnes eodem modo exponunt. Quidã* per prima *intelligunt Metas sophistarum, quæ sunt fines: et quamvis Meta, inquantum est finis,* 1

sit vltimum quidem in ex.ecutione : tamen est pri-
mum in intentione: primum autem in intentione est
2 primum secundum Naturã. Alij per prima in-
telligi volũt syllogismos sophisticos peccãtes in For-
ma: quia hi secũdũ Naturam sunt primi, eò quod
per eos etiam cognoscuntur syllogismi peccantes in
3 Materia Alij prima exponũt locos sophisticos: quia
hi sunt quædã principia ad elenchos sophisticos, &
4 ipsos secũdũ Naturã precedunt. Quidã per prima
intelligunt cõstitutionẽ syllogismi sophistici, quæ do-
cetur in priori libro: in secũdo autẽ de eiusdẽ resolu-
tione agitur: cõstitutio autẽ siuè cõposito rei prior est
5 eiusdẽ resolutione. Nonnulli prima exponũt com-
muniora, quæ sunt principia doctrinæ priora secũdũ
Naturã, hoc est, secũdũ naturalẽ modũ cognoscẽdi
6 nostrũ. Alij deniq; per prima intelligi volũt quæ-
stionẽ, An sit, quæ cæteras quæstiones Naturâ siuè
naturæ ordine præcedit. Statim enim post ostendit
Philosophus esse elenchos sophisticos & apparentes.
Ego existimo Arist. per prima non tantum quæsti-
onem An sit intellexisse, sed etiam quæstionẽ Quid
sit, & alia nonnulla: quia post quam ostenderit in c.
1. esse syllogismum siuè elenchũ sophisticum: in eo-
dem cap. etiam quid syllogismus sit & elenchus de-
finit. Et in cap. 2. definit sophisticen & sophistam.
Vnde non tantum quæstionem An sit eum intellex
isse perspicuum est. Nam tum non dixisset à primis
sed à primo: quia quæstio An sit, primum quid-
dam in numero singulari dicitur, non prima in nu-
me-

mero plurali. Quare per prima arbitror Aristotelem quadam communiora & generaliora, quæ specialibus Naturâ priora sunt, intellexisse, quæ præmittit in cap. 1. 2. & in initio 3. antequã ad specialē elenchorum sophisticorum tractationem accedit.

Illa communiora hæc sunt. An sint elenchi sophistici & apparentes: Quid sit syllogismus, quid elenchus: Quid sophistice, quid sophista: Quæ sunt officia scientis: Quot sunt Metæ sophistarum: Quot sunt genera argumētationum. His absolutis ad specialem elenchorum sophisticorũ tractationem accedit.

d Veterum nonnulli autumabant (inquiunt Lovanienses) quicquid alicui apparet, verum esse: & perinde omnem apparentem syllogismũ & elenchũ reverà esse syllogismum & elenchum: ideò ad horũ opinionem convellendã ostendit Philosophus non omnem syllogismum & elenchũ esse verũ, sed aliquem fucatum & adulterinum. Horum etiã sententiã confutat Aristoteles lib. 4. Metaphys. c. 6.

e Lovanienses per habitum intelligunt habitum scientiæ & virtutis, qui est animi habitus: per pulchritudinē intelligunt habitũ corporis nativũ, hoc est externũ decorē siuè venustatem. Alij per habitũ intelligũt habitũ corporis etiã: in qua sententia Grouchius & Pacius sunt. Hi enim ambo, cum in contextu habitus tantùm legatur, adyciunt corporis: quorũ opiniones in ca. analysi sequutus sum. Sed huic interpretationi illud refragari videtur, quod, si habitus corporis hic intelligatur, superfluè posteà subiungit Aristoteles pulchritudinē: quia pulchritudo etiam est habitus corporis. Respondeo, quòd aliud est ἕξις, id est, habitus corporis: aliud est pulchritudo corporis. Ille enim corporis cōstitutionem, hæc eiusdē venustatē significat. Vnde aliud est habere bonam corporis constitutionem: aliud

Obiectio.

Solutio.

aliud est habere pulchritudinem & venustatẽ. Raro enim in uno & eodem homine reperiuntur. Alij distingunt habitum *in habitum internum, qui est corporis constitutio: & in habitum externum, qui est externa ipsius forma & pulchritudo:* per habitum *intelligunt internum habitum, per* pulchritudinem, *vero intelligunt externũ habitũ: unde superflue* pulchritudinẽ *non adiecit philosophus.*

Habitus corporis duplex. l. 2.

f *Græcè legitur* φυλετικῶς φυσήσαντες. *quæ verba nõnulli vertunt* tribualiter inflantes. *Alij* ex tribu tumentes: *quidam* quasi pomparũ more se comẽtes *Pacius sic transfert:* instar tribuariarum hostiarum tumentes: *Grouchius nõ tam versorem & interpretem, quàm commentatorem hac in re se præbet. Sic enim legit:* Tumor quidem talis, qualis esse hostiarum solet in sacris curialibus per æmulationem curiarum. *Ad pleniorem huius loci explicationem notandum est populum Atheniensem (quem hic intellexisse videtur philosophus) divisum fuisse in quasdam partes, quæ Græcè* φύλαι, *hoc est, tribus sivè curiæ appellant: unde* φυλετικῶς, *id est, tributim, tribualiter, ex tribu, sive more tribuum. Unaquæq; tribus sive curia (inter cæteros Deorum cultus) hostias immolare, & sacrificia facere solebat, quæ inde dicuntur tribuariæ hostiæ, sive sacra curialia, quippe quod ab his curijs, & tribubus fieri solebãt. Nonnulli illud* φυλετικῶς φυσήσαντες *sic accipi volunt, ac si immolãtes inflarẽt & tumefacerent illas hostias,*

Tribus (inquit Plutarchus in vita Romuli) tres curias continet: unde cum populus divisus fuerit in triginta curias, curia est decima pars populi Romani Huic consentit, quod AEschines habet: φυλὴ (inquit) Athenis est decima pars urbis.

hostias, quas immolabāt. Alexander et alij non ad ad hostias, sed ad ipsos immolantes hæc referunt, ac si illi seipsos tumefacerent. Si priorē opinionem amplecti velimus, hunc sensum esse existimo: Inter illas curias sive tribus quædam pingues & opimas immolabant hostias: aliæ verò, pauperiores puta, tenuiores, macras & macilentas immolabant, quas, vt opimæ & speciosæ viderentur, inflato quasi spiritu, & inspirato flatu tumefaciebant, non aliter, quam nunc solent improbi lanij qui carnes strigosas & macie confectas immisso flatu distendunt & tumefaciunt, vt pingues & benè saginatæ videantur, quò faciliùs eas extrudant & divendant. φυσάω enim est spiro, spiritu inflo, spiritum immitto, flatu distendo, tumefacio. Alexander illud φυλετικῶς φυσήσαντες nō ad hostias, sed ad ipsos immolātes, hoc est ad ipsas tribus, nēpè homines refert: q̃, cū malè se habeant, per quædā artificia circa corpus æmulātur eos, q̃ reverà benè se habēt, parātes seipsos, ac pinguibus indumētis se cōponentes et impinguātes. Sed cur hoc faciebant? Alexander autoritate Athenæi et Proculi (sicut refert Niph⁹) asserit eos id facere, ꝙ tribus faciebāt ad rerū sacrarū presentationē. Vnusquisq; n. eorū, qui ad huiusmodi festū accedebat, enitebatur alterū habitu corporis superare. Non enim licebat omnibus ad husmodi festū & cōgregationē, in qua fiebāt oblationes in altaribus, accedere: sed eis, qui ex tribu sani bonaq; habitudinis erant. Ideò qui malè


se habebant, æmulando eos qui bene se habebant, se parabant, reddebantq́ se pinguiores indúmentis & alijs, quæ faciebant eos videri tales. Huic opinioni suffragatur Mathisius, qui vocat τοὺς φυλετικῶς φυσήσαντες eos dici, qui instar curialium hostiarum (de quo apud Athenæum in sophistarum convivio) se comebant, & ornabant, vt egregium corporis habitum, qui naturâ deerat, hoc modo exprimerent. Hanc opinionem existimo multò propius ad mentem Philosophi accedere: quippe qui illud φυσήσαντες non ad hostias, quasi ipsæ essent tumefacta, sed ad tribus, id est, ad ipsos homines referat: quòd ex eo constat, quod statim subiungat καὶ ἐπισκευάσαντες ἑαυτούς, id est apparantes semet ipsos. Ubi manifestum est ἑαυτούς non ad sacra vel ad hostias, sed ad homines referri debere.

Niphus.

Res dicuntur quatuor modis.
1 Aliæ sũt & apparẽt: ut luna terrâ minor.
2 Aliæ sunt, & non apparent: ut: sol terrâ maior.
3 Aliæ non sunt, & non apparent, ut: luna terrâ maior.
4 Aliæ non sunt, & apparent: ut: sol terrâ minor.

Fieri non potest, ut aliæ sint, & non sint (saltem simpliciter, & eodem modo) nec ut aliæ appareant & nõ appareant. In quatuor enim terminis semper sex fieri possunt coniugationes: quarum duæ sunt impossibiles: quatuor autem possibiles, sicut testatur Arist. 2. lib. Topic.

Sunt



h *Lithargyrus sivè lithargyrium exponitur lapis argenteus. λίθος enim lapidem: ἄργυρος argentum significat: quia hic lapis argēti speciem & similitudinem præ se fert: inde adiectivum λιθαργύρειος, & τὰ λιθαργύρια in plurali numero, quæ vox hîc reperitur. Hunc lapidem nonnulli vocant Coticulam & Heraclium, sivè Lydium lapidem. De hoc lapide Plinius sic scribit: Auri argentiq; mentionem comitatur lapis, quem Coticulam appellant, quondā nō solitus inviniri, nisi in flumine Tmolo, vt autor est Theophrastus, nūc vero passim, quē alij lydium vocāt, sunt autem modici, quaternas vncias lōgitudinis, binasq; latitudinis non excedētes. Quod à sole fuit in his, melius, quàm quod à terra. His coticulis periti, cum è vena ut lima rapuerint experimentum* Lithargyros quid? Lib. 33. Natural. hist. c. 8.

mentum protinus dicunt, quantum auri sit in ea, quantum argenti vel æris, scrupulari differentia, mirabili ratione, non fallente. Argenti duæ differentiæ: Batillis ferreis candentibus, ramento imposito, quod candidum permaneat probatur. Proxima bonitas rufo nulla nigro. Sed experimento quoque fraus intervenit: servatis in virorum urina Batillis, inficitur ita ramentum obiter dum vritur canderemque mentitur. Est aliud experimentum politi & inhalitu hominis, si, sudet protinus, nubemq; discutiat. Hæc Plinius. Aliqui dicũt quod Litharg yrius sit spuma argenti, & medicamentum metallicum non sponte quidem nascens, sed in secundis fornacibus emergens, dum plumbum vel eius arena argento aut auro secernitur. Alij dicunt, quod non sit spuma argenti, sed admixti plumbi. Est duplex Lithargyriũ: auri, & argenti: posterius hic intelligitur.

2

3

Lib. 34. c. 17. i *Stannum est metallum simile argento: Anglicè vocatur* Tinne *stannum (inquit Plinius illitum æneis vasis, saporem gratiorem facit, & compescit æruginis virus, mirumq;, pondus non auget, Specula quoq; ex eo laudatissima Brundusij temperabantur, donec argẽtiis vti cœpere & ancillæ. Nũc adulteratur stannũ addita æris tertia portione candidi in plumbũ album. Fit & alio modo, mixtis albi plumbi nigriq; libris. Hoc nunc aliqui argentariũ appellant. Idem & tertiarium vocant, in quo duæ nigri portiones sunt, & tertia albi. Et in cap. 16, Plũ-*

bi

bi nigri (inquit) origo duplex est. Aut enim sua provenit vena, nec quicquam aliud ex se parit. Aut cum argento nascitur, mixtisque venis conflatur. Eius qui primus fluit in fornacibus liquor, stannũ appellatur: qui secundus, argentum: qui remansit in fornacibus, galena, quæ portio est tertia additæ venæ. Hæc rursus conflata dat nigrum plumbum, deductis partibus duabus. Hæc Plinius.

k Quod de felle tinctis dicitur, accipit Albertus de ijs, quæ infecta sunt croceo felle canino. Fel (inquit Plinius) nihil aliud est, quam purgamẽtũ pessimi sanguinis: & ideò in materia eius est. Si aliquod corpus, præsertim metallicũ, felle tinctũ & infectũ sit, videtur aureum: hinc Plinius loco citato: Taurorum felle aureus ducitur color. Lib. 11. c. 37.

l Syllogismus sivè Elenchus sophisticus sumit causam suæ apparentiæ seu deceptionis vel ex parte Respondentis, atq; hæc est ipsius imperitia: vel ex parte opponentis: & hæc omnes locos sophisticos sivè Fallacias comprehendit, præcipuè vero Homonymiam & Amphiboliã. De hac causa loquitur Philosophus posteà, vbi asserit Syllogismum & Elenchũ multis de causis oriri, sed præcipuè ex rerũ nominibus: ubi causas nonnulli exponunt Modos.

m Imperiti homines assimilantur ijs, qui procul rẽ prospiciunt. Hi enim naturam rei visæ semper non percipiunt, nec verã ipsius quãtitatẽ cognoscũt, nec multa deniq; alia, quæ rẽ cõsequuntur, animadvertunt. Ergo sicut in ipsis rebus distãtia et intervallũ:

ita

ita in ipsis argumentationibus imperitia hominum in re Dialectica est causa deceptionis, nempè vt syllogismus vel elenchus videatur esse, cum reverà non sit.

Συλλογισμὸς quid.

n Συλλογισμὸς nihil aliud est, si vim verbi spectes, quam collectio, quæ ratiocinando fit: propriè est vox Arithmetica. Nam συλλογισμὸς in Arte Arithmetica est computatio, qua subductis calculis summa colligitur, siuè qua ex duobus pluribusvè numeris vnam summam colligimus: vndè similitudine quadam ad Dialecticam transfertur: Et est συλλογισμὸς oratio, in qua positis duabus propositionibus, ac certo Modo ac Figura dispositis certũ aliquid (nimirũ conclusio) veluti summa colligitur, propter ea, quæ posita sunt. Latinè Argumentatio, & Ratiocinatio, sed vsitatiùs servato primo idiomate Syllogismus appellatur. Hinc συλλογίζομαι, colligo, seu ratiocinatione colligo, ut ij, qui calculis subductis, summam conficiunt. Apud Dialecticos itidem significat colligo & concludo, id est, ex duabus propositionibus seu præmissis, quasi subductis calculis summam propositionis efficio. συλλογισμὸς & παραλογισμὸς contraria sunt.

o Per hunc locum nonnulli Homonymiam tantũ intelligunt: quia Philosophus dicit hunc locum ex nominibus, hoc est, ex vocabulis, sivè simplicibus vocibus ortum habere. Sed certum est Aristotelem hîc non solum voces simplices, sed etiam complexas, hoc est, orationes intellexisse: quia statim subiungit

in contextu: Nomina sunt finita, & orationum multitudo: res autem numero infinitæ sunt. *Et iterum.* Necesse est, vt eadem oratio vnũque nomen plura significet. *Vnde colligo Philosophum et Homonymiam et Amphiboliam hoc in loco intellexisse. Hi duo loci inter locos internos, siue qui in dictione consistunt, dicuntur vulgatissimi, tum quia in his reperitur Multiplex actuale, in reliquis verò Multiplex potẽtiale & phãtasticũ: tũ etiã quòd Sophistæ sæpius ex hisce duobus locis paralogismos deducũt, quibus imperitos decipiunt Sunt qui hic vnà cum Homonymia fallaciam Figuræ dictionis contineri dicunt.*

P. Nomina sunt σύμβολα, hoc est notæ & signa rerũ, & eorũ etiã, quæ sunt in animo, hoc est affectionũ. Hinc Arist. lib. 1. περὶ ἑρμηνείας, siue de Interpretatione c. 1. sic scribit. Ἔστι μὲν οὖν τὰ ἐν τῇ φωνῇ τῶν ἐν τῇ ψυχῇ παθημάτων σύμβολα, *id est, quæ sunt in voce, sunt notæ passionum, quæ sunt in anima &c. Huc pertinet quod de Stoicis scribit Cicero. Atque (inquit) ut reliqui fures earũ rerũ, quas ceperunt, signa cõmutant: sic illi, ut sentẽtijs nostris pro suis vterentur, nomina, tanquã rerũ notas, mutaverunt.* Li. 5. de Finib. *Ex hoc loco patet non res ipsas, sed voces (rerũ notas, primæ tamen impositionis,) in Prædicamentis reponi. Non enim res ipsæ, sed voces prædicantur. Hinc lapidè quidam: Bos (inquit) non est per caudam trahendus, & in Prædicamento reponendus.*

ANALYSIS

CAP. 2.

ARGVMENTVM.

CVm in capite præcedenti ostendisset Philosophus esse syllogismum sivè Elenchum Sophisticum & apparentem,& per consequens esse Sophisticen: iam ostēdit quid sit Sophistice,& quid Sophista: obiter tamen tanquàm aliud agens. Pręcipuus enim scopus ipsius in hoc cap. est, vt ostendat Sophistas non cupere, vt sapientis officia præstent,sed ut præstare tantum videantur. Duæ sunt partes præcipuæ huius ca.¹.Primò ostendit duo esse sapientis officia, quæ Sophista reverà præstare non cupit,sed præstare tantum videri: vbi exponit quod genus argvmentationum expetant Sophistę,¹vbi etiam tria proponit, de quibus dicturus est in sequentibus. Secundò quatuor esse Argumentationum genera declarat.

Suntné homines,quibus è re magis est, quibusq́, maius opere precium est videri sapientes,quàm esse, & non videri?

¹ Sunt reverà: iiq́; appellantur Sophistæ.

Quî illud probas?

Ex definitione tum ipsius Sophistices, tum etiam Sophistæ.

Quid est Sophistice,quid Sophista?

Sophistice plenius definitur c. 10.

Sophistice sic definitur.'Εστι ἡ σοφιστικὴ φαινομένη σοφία, οὖσα δ' οὐ μή, hoc est,Sophistice est sapientia,quę videtur esse, cum reverà non sit, sivè apparens & simulata sapientia,

tia, non existens, vel vera.[b] ὁ σοφιστὴς ἐστὶ χρηματιστὴς ἀπὸ φαινομένης σοφίας, ἀλλ' οὐκ οὔσης, hoc est, Sophista est aucupator pecuniarum, sivè qui quæstum facit ex ea sapientia, quæ videtur esse, nec est.

Nonnè Sophistæ sunt sapientes, & sapientum officia præstant?

Nequaquam. Nam sicut hi homines eo ingenio nati sunt, vt se operę precium maius facturos existiment, si sapientes videantur, nec sint, quàm si essent, nec viderentur: Ita magis, cupiunt, vt sapientis officia præstare videantur, quam vt præstent, nec videantur.

Quæ sunt hominis scientis sivè sapientis officia?

Hæc duo 1. [c] Non mentiri in iis, quæ novit. 2. Posse mentientem patefacere; quorum alterum in argumentationis concedendæ: alterum in sumendæ facultate positum est, hoc est, alterum ad Respondentem, alterum ad Opponentem spectat.

Quod genus argumentationum debet is, qui Sophisticè cavillari, & sophistæ munere fungi velit, exquirere?

Illud argumentationum genus, de quo dictum est in cap. 1. nempe Sophisticum, & quod videtur esse, sed non est. Nam hoc plurimum Sophistam adiuvat: & huiusmodi facultas argumenti inveniendi, hoc est, Sophistice facit, vt sapiens videatur Sophista, cuius rei valde studiosus & appetens est. Esse igitur eiusmodi quoddam argumentorum genus, nempe Sophisticum, & huiusmodi facultatem eos expetere, quos Sophistas vocamus, manifestum est.

Quæ prætereà restant dicenda?

Hæc tria præcipuè. 1. [d] Quot sunt species argumentationum Sophisticarum. 2. Quot numero sunt

huius lib. hoc modo: σοφιστική ἐστι χρηματιστική τις ἀπὸ σοφίας φαινομένης, id est, Sophistice est facultas quędam luchrum captans ex ea quæ videtur sapientia. Ratio sic colligitur: Sophistæ magis cũpiunt videri sapientes quam esse. Ergo magis cupiunt vt videantur prestare officia sapientis quã ut præstent.

Hoc est, quod in contextu dicitur: *Cuius pro ære sim habet.*

 ea,

ea, ex quibus hæc facultas constat. 3. Quot sunt partes huius tractationis, & si qua sunt alia, quæ ad hanc Artem conducunt.

Antequam accedamus ad Argumētationum Sophisticarum species, paucis mihi expedias quot sunt omninò Argumentationum genera, hoc est, quot sunt species Argumentationum in genere, quibus in disserendo homines vtuntur?

Quatuor. nēpe λόγοι	1	Διδασκαλικοὶ	hoc est, Argumentationes	*Doctrinales*
	2	Διαλεκτικοὶ		*Dialecticæ*
	3	Πειραστικοὶ		*Tentativæ*
	4	Ἐριστικοί.		*Litigiosæ.*

Quæ sunt didascalicæ sivè doctrinales?

1 Didascalicæ argumentationes sunt, quæ ex propriis, cuiusq; disciplinæ sivè scientiæ principiis, non ex Respondentis opinionibus concludunt. Oportet enim discentem credere his principiis.

Quæ sunt Dialecticæ?

2 Dialecticæ sunt, quæ ex probalibus aptæ sunt ad concludendum, hoc est, quibus vtraq; pars contradictionis ex comunibus principiis concluditur.

Quæ sunt Tentativæ?

3 Tentativæ sunt, quæ concludunt ex iis, quæ Respondenti videntur, & quæ necesse est eum scire, qui sibi scientiam arrogat. Quo autem modo hoc sit faciendũ, in aliis libris, nempè in Topic. dictum est.

Quæ sunt litigiosæ sivè contentiosæ?

4 Litigiosæ sunt, quæ ex iis, quæ videntur probabilia, cùm revera talia non sint, aptæ sunt ad concludendum.

Num de omnibus his quatuor Argumētationum generibus agit Arist. in lib. de Sophisticis Elenchis?

Nequa-

Nequaquam. Nam de Didascalicis & Demonstrativis egit in Analyticis posterioribus, hoc est, in libris de Demonstratione: de Dialecticis & Tentativis in aliis libris, nempè Topic. De litigiosis autem in libris de Sophisticis Elenchis tantum agit.

Quare libri de Demonstratione dicantur Analytica, scripsi in Prolegomenis ad lib. Demonst.

SCHOLIA IN CAP. 2.

a *HIc notandum est (inquit Mathisius) insolens & iactabundum hominum vanissimorum ingenium, quibus pluris est & maius, sapientiæ titulus & venditatio, quàm sine titulo & venditatione vera sapientiæ possessio. De horum hominũ genere vide A. Gellium lib. 10. cap. 22. & Gorgiam Platonis.*

b *In definitione Sophistæ duo comprehenduntur.* Finis, *&* Modus, *sivè* Media. *Finis est* quęstum facere: *Modus, sivè media, quibus hunc finem assequitur, est* simulata sapientia, non vera. *Finis in illa voce* (χρηματιστὴς) *comprehenditur: Modus sivè media in his verbis:* ἀπὸ φαινομένης σοφίας, ἀλλ' οὐκ οὔσης. Χρηματιστὴς *eum significat, qui colligendæ aut comparandæ pecuniæ deditus est, aut qui artem pecuniæ comparandæ novit: à verbo* χρηματίζομαι, *quod significat pecuniam colligo. Thema, undè hoc derivatur, est* χρῆμα, *id est pecunia, bona fortuna,*

facultates: quam vocem nonnulli deducunt ἀπὸ τὸ χρῆσθαι ab usu. Multi sunt modi mediaq; multa comparandæ pecuniæ: sed modus, quo sophista pecuniam comparat, est simulata quædam sapientia, seu apparens, quædam & fucata rerum cognitio. Sophistæ enim reverà sunt prorsus ignari, & ad omnem tum inveniendi tum iudicandi facultatem penitus inepti: sed tamen sapientes, necnon in qualibet re eruditos se esse putant, aut tales videri magnopere cupiunt; unde & nomen suum sortiti sunt. σοφία enim est sapientia, & σοφοὶ sapientes: & hi Sophistæ appellantur, quia, cum revera ignari sint, tamen sapientes imitantur. Hinc Theætetus apud Platonem. Sapientem, quidem (inquit) vocare illum Sophistam non licet, quandoquidem ignorantem ipsum posuimus: quoniam verò sapientem imitatur, cognomentum quoddam illius simile sortietur, ac demum intelligo hunc ipsum prorsus & reverà Sophistam appellari decere. Hæc Theætetus. Octo definitiones Sophistæ à Platone enumerantur, quæ definitioni nostri Philosophi ex parte correspõdent: quarum prima hæc est. Sophista est, qui virtutis ostendendæ gratia conversari se profitetur, & mercede pecunias exigit: unde Sophistica facultas appellanda est ars, quæ in conciliando comparandoque versatur, animaliumque gressibilium & terrenorum domesticorumque venatio est, hominum vz. privata captura obnume-

In Sophista in fine.

In Sophista.

Prima definitio Sophistæ.

numorum mercedem, & iuvenum, divitum atque nobilium opinione virtutis disciplinaeque irretitio. Secunda definitio haec est. Sophista est acquisitor, commutator, Emptor, venditor, & mercator, qui animi disciplinas venundat ad sermones institutaque virtutum praecipuè pertinentes. Tertia definitio: Sophista appellatur is, qui in acquirendo versatur, commutat scil. & emit venditque cauponando siuè sua inventa sive aliena circa virtutis studia vendat. Quarta definitio: Sophista nihil aliud est, quam genus illud quaestuarium artificiose litigando acquirere solitum: unde verum est, quod dicitur: varium hoc animal esse, utq; proverbio fertur, non altera manu duntaxat apprehendendum, sed utraq; uti oportet. Has quatuor definitiones paulo post repetens subiungit Plato: primâ (inquit) investigatione apparuit Sophista iuvenum ac divitum mercenarius esse venator. Secundâ mercator quidam circa animi doctrinas. Tertiâ circa haec eadem caupo. Quartâ circũ doctrinas suorum venditor inventorum. Quinta definitio Sophistae haec est: Sophista est certator quidam circa sermones & artificiosus minium litigator. Sexta: Sophista purgator quidam animae visus est, opiniones extirpans omnes, quae doctrinis impedimento sunt. Septima definitio: Sophista est prestigiator quidam verarúmque re-

Secunda definitio:

Tertia definitio.

Quarta definitio.

Quinta definitio.

Sexta definitio.

Septima definitio.

Octava defi-nitio. rum imitator. Octava Sophistæ definitio in fine Dialogi à Platone traditur: vbi hæc habentur verba. Is demum Sophistam verè definiet, qui generationem eius & stirpem esse istam asseverabit: Sophista (inquam) est, qui in sermonibus disputantem cogit contradicere sibiipsi, qui & ironici pars est, ab imitatore opinoso veniens, phantastici item generis, ab imaginaria facultate profluens, non divina sed humana effectionis determinata progenies, ex eorumque numero, qui verbis, quasi quibusdam præstigijs, mirum in modum decipiunt auditores. Hæc Plato. Hæ omnes definitiones cum Aristotelis definitione quadrare videntur. Continent enim finem Sophistarum, qui est, pecuniam comparare, & mercedem exigere, cum adversario non disputare, sed litigare: continent etiam modum, quo hunc finem assequuntur. Non enim veris & legitimis vtuntur rationibus, sed imposturis quibusdam & præstigijs homines simplices & ignaros fallunt, & qui, vt aliquid lucri extorqueant, pollicentur quemvis, qui ab eis erudiri velit, brevi eruditionis compotem se reddituros, sicut in Euthydemo scribit Plato: qui etiam (vt 10 Ethic. cap. vlt. refert Aristoteles) pollicentur res civiles docere, cum tamen ipsi nihil agant, neque filios suos, aut amicorum vllos idoneos adgubernan-

bernandam rempublicam efficiant. Et Paulò post. Quapropter ijs (inquit) qui de re ciuili cupiunt scire, experientia insuper opus esse constat: Sophistæ autem ij, qui facultatem hanc profitentur; tradendi viam ignorant. Néque enim quale quid est, néque circa quæ versetur, omnino sciunt. Hæc Aristoteles. Hinc rectè Marsilius Ficinus: Præterea (inquit) quòd præstigiatores (Sophistas intelligit) eiusmodi virtutem, quam pollicentur, néque præstant vnquam, néque ad ipsam alicubi exhortantur, sed ad consuetas verborum cavillationes vbíque refugiunt, eásque quasi res serias studijs alijs quasi ludis proculdubio anteponunt, tria potissimum nobis significat: primum eos, qui virtute ipsi ornati non sunt, eam numquam vel ratione, vel exemplo posse docere. Secundum, homines verborum nimium curiosos res bonas numquam vel consequi vel afferre. Tertium, eos, qui facillimè plurima pollicentur, minimè omnium promissa servare. Hactenus Ficinus. Hîc omittendum non est, AEgyptios Sophistam cancro assimilâsse, sicut refert Pierius Valerius: cuius verba hæc sunt. Eiusdem subterfugij causa sophistam significare qui volunt, Cancrum pingunt. Eos enim huic animali admodum persimiles Plato dicit, quos vbi

In argumento Euthydimi Platonis.

1

2

3

Lib 28. cap. de Cancro.

vbi validiori aliqua ratione devictos comprehensosque putes, tunc retrò fugaci cursu elapsi per diverticula atq; subterfugia maiorem priore tibi laborẽ intentant, si vilem ac inanem prorsus curam eos consectandi susceperis. Hinc est quòd Plato (sicut dictum est) ait hoc animal varium esse, & non altera manu duntaxat apprehendendum, sed vtraq; vti pro viribus oportet: sed vnum cauendum est, (inquit ibidem) ne prædam hanc dimittamus. Fermè namq; sophistam veluti verriculo quodam irretitũ ratiocinando comprehendimus. Ægyptij etiam ranis, quæ in Ægypto pluerint, sophistas comparabãt, sicut idẽ Valer. ostendit his verbis. Est & in sacris nostrorũ literis mystica de ranis Ægyptiacis mẽtio per quam frequens, quæ iugiter in Ægypto pluerint. Sophistarum nugas & Dialecticorum garrulitatem per eas Doctores quidam intelligunt, siuè ob nullius significantiæ vocem tam argutam, tamq; pertinacem, siue quòd in luto voluptuosa sit eorum habitatio: quorũ vtrumq; Sophisticis attribuitur. Hæc Valerius.

Lib. 19. ca. de rana.

Sophista quis dicitur vel {
1 Cognitione & habitu, nẽpè qui cognoscit Sophisticas et cõtentiosas rationes cõtexere easq; diluere: et sic Dialecticus potest, imò debet esse Sophista: alias captiosis argumentationibus citò decipietur.
2 Professione et praxi siuè vsu, qui scil. Sophisticis et fucatis rationibus ad captandã inanem gloriam et congerendã pecuniã vtitur: & sic Dialecticus non debet esse sophista. Nã non debet alios fallere 1. Top. 14. Hinc interpretes distinguunt.
}

Sophistice

Sophistice est duplex
- 1 Docens, nempè quæ Sophisticarum cavillationum apparentiam & defectum ostendere easq; diluere docet: atq; hæc eadem est cum Dialectica.
- 2 Vtens, quæ sophismatum & captionum structurã non tã docet, quã ijs constructis ad homines fallendos, & ad pecuniam ab iis extorquendam vtitur: & hæc non est Dialectica, sed ei ex diametro repugnans.

Lovanienses Sophisticen trifariam accipi putant. Primò pro cognitione per Argumentationem Sophisticam aggenerata, quæ apparet esse habitus scientificus, cuiusmodo non est, sed potiùs deceptorius: & proinde rectè dicetur Sophistica esse apparens scientia & non existens. Secundò pro habitu quodã per exercitium parto, quo quis promptus redditur ad afferendas quaslibet ratiocinationes deceptorias propter quod eum habens, apparet esse sapiens & omnia cognoscere, qualis non est. Tertiò pro scientia in hoc opere tradita, quæ divitur in docentem & vtentem; quarum illa est verè scientia, hæc verò apparens.

1

2

3

Sophista sumitur duobus modis
- 1 Primò vt opponitur Demonstratori: sic Dialectici dicuntur Sophistæ: sicut patet ex 2. cap. & c. 6. 1. de Demonstrat.
- 2 Secundò vt opponitur Dialectico: & sic hoc in loco sumitur.

c Sicut duo sunt officia prudentiæ moralis respectu boni & mali: nempè eligere bonum: & fugere malum: ita duo sunt officia sapientiæ respectu veri & falsi. 1. Non mentiri. 2. Mentientem patefacere. Sed vtrum horum ad opponentem, & vtrum

vtrum ad Respondentem pertineat, dissentiunt interpretes. Nonnulli enim, ut Grouchius & Lovanienses, prius illud ad Respondentem: posterius ad Opponentē pertinere affirmant: vnde Mentiri in iis, quæ novit exponunt Lovaniēses, non admittere falsas propositiones, quas scit falsas, aut eas negare, quas scit esse veras: quod quidem ad Respondentē spectat. Alij, inter quos est Faber Stapulēsis, prius illud ad Opponētē: posteri9 ad Respondētē referūt. Hac interpretū contrarietas oritur ex verbis ipsius Arist. quæ sic se habent: ταῦτα δ' ἐστι, τὸ μὲν, ἐν τὸ δύνασθαι δοῦναι λόγον: τὸ δ'. ἐν λαβεῖν: id est, quorū alterū in argumentationis concedēda, alterū in sumēda facultate positū est: vbi perspicuum est τὸ δοῦναι λόγον ad Respondētē, τὸ λαβεῖν ad Opponentē referendum esse. Concedere enim argumentationē, est respondere: sumere autem argumentationem, est opponere. Sed vtrum τὸ δοῦναι λόγον, ad prius illud, nempe non mentiri: an ad posterius, nempè mentientem patefacere sit referendum, incertum est. Ego cum plerisq; interpretibus in ea sum sententia, vt existimem prius illud ad Respondentem: posterius ad Opponentē spectare: Et prius illud non mentiri exponendum puto, non tueri falsā aut improbabilē Thesim. Respōdēs enim veram, aut saltem probabilem thesim sivè quæstionem defendere debet: sicut Opponens tenetur probabili aliqua ratione illius thesim convellere, & errorem Respondentis notum & mani-

manifestum auditoribus reddere. Et sic eum ab errore revocare, quò alijs possit persuadere ne in istius errorem incidant. Non tamen negarim quin etiam ad Respondentem possit pertinere, vt Opponentem mentientem patefaciat. Debet enim Respondent falsas propositiones Opponentis, si quæ fuerint, reijcere: et si ipsius argumentatio in Forma fuerit visiosa, debet illius vitium patefacere, & defectum ostendere: vnde existimarem hæc duo Dialectici officia, si diversis modis exprimantur, ad Opponētem & Respondētem simul referri posse. Nam Opponens non debet mētiri, hoc est non debet falsas propositiones suis argumētationib⁹ immiscere nec falsò aut fucatè locos, vel autoritatē allegare: Respondens non debet mentiri: id est, non debet falsam aut improbabilē thesim siuè quæstionem defendere. Eodem modo, Opponens debet mētientem patefacere & redarguere, hoc est, Debet falsam positionem Respondentis falsumq; ipsius responsum refutare, & ipsius errorem manifestum auditoribus reddere: Respondens etiam debet mentientem patefacere & redarguere, hoc est, debet falsam Opponentis argumentationem coarguere, & indicare vitium, siquod sit vel in Materia, vel in Forma & vtrum directò rem propositam confirmet. Hic etiam notandum est Aristotelem non omnia sapientis opera seu officia enumerare, sed ea tantum, quibus ad alium sese habet diversimodè aut opponendo aut respondendo Nota.

dendo

dendo, & quæ ipsi sunt accommoda in disputatione contra sophistas & homines litigiosos. Aliud etiam officium Dialectici recenset Arist 2. Top. c. 1. nempè à vocabulis tritis & visitatis non recedere, sed hoc ei competit, non quatenus cum sophista congreditur.

Obiectio.

Omnes homines scire desiderant li. 1. Metaph. c. 1. Ergo sophistæ non magis cupiunt, ut videantur scire, quàm ut sciant, nec videantur.

Solutio.

Omnes homines scire desiderant desiderio siuè appetitu naturali, sed nō animali. Vel nonnulli distinguunt voluntatem in eam, quæ est ordinata & regulata ratione. Et in eam, quæ est inordinata & à ratione deflectens. Secundum illam (inquiunt) omnes scire desiderant, secundum hanc non omnes scire cupiunt.

Voluntas duplex.

1 [ordinata]
2 [inordinata]

1 d. *Per primum ex his tribus*, *nempè* species Sophisticarum argumentationum *dicunt nonnulli Aristotelem intellexisse duo prima genera locorum Sophisticorum siuè Fallaciarum: quorum vnum in verbis, alterum in rebus consistit: per secūdum, istorum generum partes siuè species, quæ sunt tredecem Fallaciæ quibus hæc omnis facultas (quod ad tractationem Sophisticæ reprahensionis attinet) absoluitur. Per tertium nempe* partes huius tractationis *intellexisse divisionem*

huius

huius tractatus. Hic enim dividitur in duas partes (sicut dictum est in prolegomenis) in priori agitur de officio & munere opponentis Sophistæ: in posteriori de dialectici Respondẽtis officio. Porro quod sequitur in contextu: ac de aliis conducentibus ad hanc artem *accipiunt nonnulli de cautelis aliisq; id genus, quæ utriusq; partis, & Opponentis & Respondentis informationi institutioniq; admodum prosunt. Alij per illud primum asserunt Arist. intellexisse Metas Sophistarum, de quibus in sequenti capite, & à quibus veluti terminis & finibus deduci putant Sophisticæ argumentationis species seu modos: per secundum, intellexisse numerum Fallaciarũ: quæ in genere duæ sunt, in specie tredecem, de quibus postea. Vtræque opiniones probabiles sunt: ego autem existimo priorem opinionem esse probabiliorem: sed res est exigui momenti.*

2 Lovanienses.

De quatuor Disputationum generibus.

c *Eadem sunt disputationum genera, quæ sunt argumentationum: vnde pleriq; latini interpretes præsertim antiquiores, verba Philosophi* Ἔστι δὴ τῶν ἐν τῷ διαλέγεσθαι λόγων γένη τέταρτα *hoc modo verterunt:* Sunt ergo genera disputationum quatuor: *cum Pacius & alij, idq; rectius, sic legant:* sunt igitur argumentationum, quarum in disserendo vsus est, genera quatuor. *Quamvis Argumentatio idem videatur esse cum Disputatione:*

Quamvis verbũ διαλέγεσθαι vsitate & propriè significet disputare ex probabilibus tamen hic διαλέγεσθαι significat Syl-

logizare (vt loquuntur) vel vere vel apparenter. Nam qui demonstrat, non disputat, sed syllogizat: & Sophistæ syllogizare videtur.

tione: tamen existimo ea multum à se invicem discrepare. Nam Argumentatio est instrumentum, quo Opponens adversus Respondentem in disputãdo utitur: Disputatio autem dicitur mutuus ille congressus & conflictus Disputantium, nempè qui habetur inter Opponentem & Respondentem: unde Argumentatio respicit tantum Opponentem, Disputatio verò respicit vtrumq;. Nam Disputatio dicitur, & cum Opponens interrogando telum quasi in Respondentem conijcit, & cum Respõdens hoc telum vel evitat, vel in Opponentem retorquet: unde Opponentis interrogatio & Respondentis responsio dicuntur Disputatio: Hinc ab Aquinate sic definitur: Disputatio est actus syllogisticus unius ad alterum ad aliquod propositum ostendendum. In qua definitione interpretes quatuor causarum genera contineri dicunt. Nam cũ dicitur Actus, tangitur Disputationis materia, sivè genus, quod proportionem habet materiæ. Syllogisticus, hîc tangitur forma sivè differentia, quæ rationem habet formæ; quæ vox instrumentalem etiam causam sivè instrumentum denotat, nempè Syllogismum, sub quo veluti perfectiori subintelligenda videntur cætera argumẽtationis species tanquam imperfectiores: hac quoq; parte separatur Disputatio à cæteris actionibus corporalibus & voluntarijs, cuiusmodi sunt, currere, comedere, amare, &c. Est enim omnis Syllogismus rationis actus & operatio. Particula subsequens

Disputatio quid?

Lovanienses.

uniu

unius ad alterum *denotat Disputationis causam efficientem, quæ est Opponens & Respondens: & indicat omnem disputationem proprie inter duos consistere: unde excluditur illa disputatio, quam quis habet cum seipso, vel cum multi inter se contendunt. Postrema particula* ad aliquod propositũ ostendendũ, *Denotat causam finalẽ sive effectũ Disputationis. Finis enim cuiuslibet disputationis est, aliquid probare, vel refellendo vel confirmãdo idq; verè vel apparenter. Sophistica enim Disputatio non verè aut probabiliter, sed apparenter & specie tenus rem probat. Argumentatione doctrinali utitur magister, cum discipulum docet, quid in quaq; scientia sit verum & certum.* 1 *Dialecticâ utitur is, qui ad aliquam thesim seu probandam seu refellendam probabili ratione utitur.* 2 *Tentativâ utitur is, qui periculum facit de alicuius scientia aut eruditione.* 3 *Sophisticâ utuntur homines litigiosi ad inanem gloriam captandam, seu pecuniam comparandam.* 4 *Notandum est Argumentationem non univocè his quatuor speciebus attribui.* Nota. *Argumentatio enim Sophistica verè non est argumentatio, presertim ea, quæ in Forma est vitiosa, sed æquivocè & nomine tenus dicitur Argumentatio. Latini interpretes dicunt Disputationem duobus modis posse sumi.* Disputatio duobus modis sumitur. *Vno modo quoad qualitatem vel etymologiam nominis,* I *in quo sensu (inquiunt) primo de Disputatione Sophistica & litigiosa dicitur, quia hoc*

modo Disputatio, dicitur quasi duorũ diversa Putatio; sed hoc maxime convenit huic generi disputationis, eo quod Opponens Sophista nititur gloriam contra Respondentem consequi: & Respondẽs renititur, & conatur quo minus eam consequatur. Secundò dicitur de Tẽtativa; Tertiò de Dialectica Quartò de Doctrinali. Alio modo sumitur Disputatio quantum ad id, cui nomen imponitur. Et sic primò dicitur de Doctrinali: Secundo de Dialectica: Tertio de Tentativa: Quartò de Sophistica & litigiosa.

In omnibus ferè Dialogis Platonis habentur disputationes tentatiuæ. Socrates enim multis in locis Sophistam, qui rerum omnium cognitionem sibi arrogat, exagitat examinatque.

f Tentativus syllogismus non re & naturâ differt à syllogismo Dialectico, sed fine tantum. Finis enim Dialectici est, fidem & opinionem ingenerare: finis verò Tentativæ est, alicuius scientiam seu cognitionem examinare, & periculum facere de ipsius eruditione. Unde Peirastice est pars quædam Dialecticæ, ut refert Philosophus c. 10. lib. 1. in initio ob eamq; causam (inquit) tota in eo posita est, ut quid dequaq; re sentiant non illi, qui verè docti sunt, sed qui rerum sibi arrogant cognitionem, cum sint illarum imperiti, observet atq; exquirat.

Nota.

Notandum est Argumentationum species hoc in loco non desumi ex earum materia aut forma, sed tantum ex earum finibus, qui sunt, docere, fidem facere, periculum facere, & inanem gloriam aucupari, seu pecuniam comparare. Quos fines nonnulli ad duos in genere reducunt: unde hanc divisionem quadrimembrem

ad

ad bimembrem revocant. Finis ergo eius, qui argumentatur, vel est habitum generare: vel sumere experimentum de habitu Respondentis. Si habitum generet, vel intendit generare habitum firmum & fixum, qui est necessarius: & sic est Argumentatio Doctrinalis: vel habitum nutantem & infirmum, qui est cum formidine & cum opposito: & sic est Dialectica Argumentatio, quæ generat opinionem, quæ est assensus alicuius conclusionis, cum formidine de opposito: vel intendit generare habitum apparentem, qui videtur, & non est: & sic est Litigiosa: Si intendit experimentum sumere, tum est Argumentatio Tentativa.

Colon.

Obiectio.

Est quinta species Argumentationis, nempe Syllogismus pseudographus seu ignorantiæ 1. Top. c. 1. 1. Demonst. c. 2. & 12. Ergo non sunt tantū quatuor.

Solutio.

Syllogismus pseudographus etiamsi differat à Demonstrativo & Doctrinali quoad materiam, nō tamen differt quo ad finem. Eundē enim vterq; habet finem, nempe generare scientiam. Quamvis enim pseudographus non generet scientiam positivè (ut loquuntur) cum non habeat vera principia, tamen intendit generare scientiam æquè atq; Demonstrativus.

Obiectio.

Demonſtratio aliquando procedit ab effectis ad cauſam lib.1.Demonſt.c.10. Ergo argumentatio doctrinalis non ſemper ex proprijs diſciplinæ principijs concludit.

Solutio.

Duplex eſt reſponſio: vna: Demonſtrationem potiſſimam & à priori hîc definiri, non iſtam à poſteriori, quæ ex effectis concludit. Altera; effecta etiam dici propria principia in cognoſcendo, licet non in eſſendo reſpectu rei concluſæ. Conſule quæ ſcripſi in 2.c.lib.1.Demonſt.

ANALYSIS

CAP. 3.

ARGVMENTVM.

EXpoſitis argumentationũ generibus: iam ad quartum genus, quod præcipuè in his libris tractaturus eſt Ariſt. explicandum accedit. Hic tria potiſſimum agit. Primò quot ſunt argumentationis litigioſę ſeu Sophiſticæ Metę & fines recenſet. Secundò quot ſunt loci ſophiſtici ſeu Fallaciæ in genere proponit. Tertiò ſpeciatim locos Sophiſticos ſeu Fallacias, quæ in *Dictione* conſiſtunt, enumerat, eaſq; ſigillatim pertractat, & exemplis illuſtrat.

Nam Sophiſtæ non argumentantur, ſed contendunt, nec revera vincunt, ſed vincere ſtudent.

Quot ſunt ea, ad quæ collimant ij, qui in diſputationibus contendunt ac vincere ſtudent: hoc eſt, quot ſunt ſcopi aut [a] *Metæ Sophiſtarum, ad quas in diſputationibus Reſpondentem ducere nituntur?*

Quinq;

Quinq. { 1 Ἔλεγχος, 2 Ψεῦδος, 3 Παράδοξον, 4 Σολοικισμὸς, 5 Ἀδολεσχία } [a] id est { 1 Redargutio. 2 Falsum. 3 Inopinabile. 4 Solœcismus. 5 Nugatio. }

Num Sophistæ has Metas aut scopos reverà assequuntur, & adversarium Respondentem ad has semper adducunt?

Nequaquam: sed hæc sibi proponunt, vt aut reverà assequantur, aut vt assequi videantur. Præcipuè enim & [b] primò prçeligunt & elaborant, vt videantur Elencho redarguere adversarium, qui cum disputant. [c] Secundò, vt de aliqua re mentiri eum ostẽdant, hoc est, vt ad falsum cõcedendũ perducant [d] Tertiò, vt ad inopinabile illum trahãt. [e] Quartò, vt eum faciant solœcismũ committere, hoc est, vt efficiant Respondentem barbarè, hoc est, incongruè loqui. [f] Postremò vt eum cogant sæpiùs idem dicere, & ad ineptam eiusdem verbi iterationem adducant.

Hoc est quod ait in contextu: *aut quod non est, sed videtur esse quod vu horum.*

Quot sunt Modi Elẽchi sivè Redargutionis, quibus vtuntur sophistę, hoc est, quot sunt loci Sophistici, sivè Fallaciæ in in genere, ex quibus captiosas suas rationes deducunt?

Duo sũt, nẽpè τρόποι { 1 Παρὰ τ̀ λέξιν, 2 Ἔξω τ̀ λέξεως } id est { *Intra Dictionem.* *Extra Dictionem.* }

Quot sunt Fallaciæ intra Dictionem, quæ videntur redarguere?

Sex sunt nempè { 1 Ὁμωνυμία, 2 Ἀμφιβολία, 3 Σύνθεσις, 4 Διαίρεσις, 5 Προσῳδία, 6 Σχῆμα λέξεως } id est { *Æquivocatio.* *Ambiguitas.* *Compositio.* *Divisio.* *Accentus.* *Figura dictionis.* }

Quomodo fidem facies, sivè probabis sex tantum esse Fallacias intra Dictionem?

 Duobus

[h] Duobus argumenti generibus: nempè inductione & Syllogismo: Inductione. Nam si singulos percurramus paralogismos, qui probabilitatis suæ speciẽ *ex dictione* sumũt, nullos poterimus invenire, qui ad has fallacias revocari non poterint. Syllogismo illud pro-
2 bari potest hoc pacto: Quot modis nominibus (simplicibus) & orationibus secundum materiam iisdem non idem significamus, tot sunt fallaciæ intra dictionem: sed sex modis & non pluribus, nominibus iisdem & orationibus non idem significamus. Ergo sex sunt fallaciæ intra dictionem. Minor probatur inductione.

Exempla horum Fallaciarum in medium proferas velim, ac primo Fallaciæ Homonymiæ.

Fallaciæ Homonymiæ sivè æquivocationis quatuor sunt exempla apud Aristotelem: quorum primo colligitur eos, qui docti sunt & scientes, μανθάνειν, sivè discere hoc pacto.

[i] *Grammatici ea, quæ memoriter recitantur, μανθάνουσι*
Grammatici sunt docti & scientes.
Ergo qui docti sunt & scientes, μανθάνουσι

Cõclusio est falsa: Resp. Verbum μανθάνειν Homonymũ est, & duo significat, nempè *intelligere* & *discere*: in priore significatione sumitur in Maiori: in posteriori sumitur in conclusione: undè non est Syllogismus, quia constat ex quatuor terminis. Nam verbum μανθάνουσι non unus est terminus, sed duo termini.

Secundo exemplo ostenditur mala esse bona tali argumento.

τὰ δέοντα sunt bona.
Mala sunt τὰ δέοντα.
Ergo mala sunt bona.

Vel latine hoc pacto.

Qua

Quæ expediunt, sivè oportet facere, sunt bona.
Mala autem expediunt, sivè oportet facere.
Ergo mala sunt bona.

Conclusio est absurda: τὸ δέον duplex est. Nam vel sumitur pro honesto sivè decenti & quod officio est consentaneum: & sic sumitur in Maiori: vel pro necessario: & sic sumitur in Minori: In hoc enim sensu ad mala plerumq; extenditur. Est enim malum quippiam [k] necessarium, quia necessitate quadam, non simplici & absoluta, sed conditionali contingit.

Tertio exemplo ostenditur eundem simul stare & sedere, sivè sedentem stare, in hunc modum.

Tertium & quartum exemplum coniunguntur ab Arist. ego vero maioris perspicuitatis gratia ea seiunxi.

Qui sedebat, stat.
Sedens surgebat.
Ergo sedens stat.

Conclusio est falsa.

Quartum exemplum simile est tertio, quo colligitur eundem simul ægrotare & valere sivè ægrotantem sanum esse, hoc pacto.

Qui convalescebat, valet.
Ægrotans convalescebat.
Ergo ægrotans valet.

Vel

Qui sanabatur, sanus est.
Ægrotans sanabatur.
Ergo ægrotans sanus est.

Conclusio similiter falsa est. Resp. in his duobus paralogismis [l] *sedens & ægrotans* vel significant eum qui prius sedebat aut ægrotabat, in qua sensu sumuntur in Minori: vel pro eo, qui iam sedet aut ægrotat: in quo sensu sumuntur in conclusione: unde in alterutro sunt quatuor termini.

2 *Afferas exempla Amphiboliæ.*

Fallaciæ Amphiboliæ sivè Ambiguitatis quinq; repeKriuntur exempla apud Philosophum: quorum primo ostenditur aliquem velle se capi ab hostibus: hoc modo.

Vellem hostes me capere.

Ergo vellem, vt hostes me capiant.

Conclusio videtur falsa. Resp. Ambigua est Antecedens propositio. Nam secundum duplicem, Grammaticalem constructionem duplicem habet sensum, eumque diversum. Si enim constructionem spectes, potest hoc pronomen *me* præcedere verbum *capere*, hoc modo:

Vellem me capere hostes meos, id est, vt ego hostes capiam.

Potest etiam subsequi, hoc pacto.

Vellem hostes capere me, id est, vt hostes me capiant.

Maior propositio addi potest, quæ hæc est: Quotcunque vellē me capere. vellē ut me capiant, at hostes vellem me capere. Ergo vellem ut hostis me capiant.

Prior sensus verus est: posterior falsus: in posteriori sensu sumitur in Antecedente: non in priori. Nam si in priori sensu sumeretur, ex ea inferetur vera conclusio.

Secundo exemplo probatur lapidem cognoscere sivè cognitionem habere: hoc modo:

Quod quis cognoscit, hoc cognoscit.

Lapidem quis cognoscit.

Ergo lapis cognoscit.

Conclusio est absurda: Resp Ambiguitas est in Maiori. Hæc enim duplicem habet sensum secundum duplicem constructionem. Nam pronomen *hoc* vel est Accusativi casus, vel est Nominativi: si sit Accusativi: sensus hic est.

Quod quis cognoscit, hoc cognoscit, id est ipse cognoscit hoc ipsum & huius habet cognitionem.

Sin verò sit Nominativi casus, sensus hic est:

Quod

Quod quis cognoscit, hoc cognoscit : id est, hoc quod cognoscitur, habet cognitionem.

Vnde *Hoc* vel ad cognoscentem refertur, in quo sensu vera est illa propositio : vel ad rem cognitam, in quo sensu falsa est : in posteriori sensu sumitur in Maiori. Nam si in priori sumeretur, ex ea colligeretur vera conclusio, nempè quod quispiam habeat lapidis cognitionem.

Tertium exemplum simile est præcedenti, quo probatur columnam videre, in hunc modum.

m *Quod quis videt, hoc videt.*
Columnam quis videt.
Ergo columna videt.

Conclusio similiter falsa est: Resp. Hîc Maior propositio est ambigua. Nam *Hoc* vel est Accusativi casus, vel Nominativi: Et refertur vel ad videntem, vel ad rem visam: in priori sensu verâ est, sed sic hoc in loco non sumitur. in posteriori verò falsa est, quo modo hîc accipitur. Vide solutionem præcedentis Paralogismi. *Quod quis cognoscit &c.* Nam eodem modo hic Paralogismus, quo ille solvitur.

Quartum exemplum latinè rectè colligi non potest: Græcè autem sic habetur.

n Ὅ σὺ φῇς εἶναι, τοῦτο σὺ φῇς εἶναι.
Φῇς δὲ λίθον εἶναι.
Σὺ ἄρα φῇς λίθος εἶναι.

Quintum itidem exemplum omni ex parte latinè exprimi non potest: colligitur autem hoc modo.

Quem contingit silere, contingit dicere.
o *Σιγῶντα contingit silere.*
Ergo σιγῶντα contingit dicere.

Conclusio est falsa. Impossibile enim est tacentem, dum tacet, loqui. Resp. Ambiguitas est in conclusione. Nam σιγῶντα vel est Accusativus masculini

generis

generis singularis numeri: atq; tunc σιγῶντα dicere idē est, quod τὸν σιγῶντα dicere, hoc est tacentem loqui: in quo sensu falsa est conclusio: vel est Accusatiui neutrius generis pluralis numeri, & tunc idem valet, quod τὰ σιγῶντα dicere, id est, tacentia sivè silentia dicere, hoc est, dicere de rebus tacentibus sivè mutis, in quo sensu vera est conclusio.

Quot sunt modi Fallaciarum Homonymiæ & Amphiboliæ?

1 Tres sunt:[p] vnus, cum oratio vel nomen propriè multa
2 significat: vt Aquila significat avem, & astrum. Canis significat quadrupedem & piscem.[q] Secundus, cum soliti sumus ita loqui, hoc est, cum nomē vel oratio propriè vnam habet significationem: impropriè verò & ex vsu ac consuetudine loquendi aliam habet significationem: quales sunt voces Metaphoricæ, sivè trāslatitiæ.[r] Tertius quando nomen vel oratio coniūctim
3 plura significat, separatim verò simpliciter accipitur, hoc est, vnum tantum significat. Vt hæc oratio: *scire literas*, vel significat quod ipsæ literæ habent scientiam sivè cognitionem alicuius rei, in quo sensu falsa est: vel quod quispiam habet scientiam & cognitionem literarum, in quo sensu vera est: partes tamen huius orationis nem pè[s] *Scire* & *literas* separatim sumptæ nullam
3 omninò habent ambiguitatem. Ergo modi quibus Homonymia ac Amphibolia continentur, hi sunt

Recense Paralogismos Fallaciæ Compositionis?

Fallaciæ Compositionis quatuor sunt Paralogismi apud Arist. quorum primus sic colligi potest.

Sedentem possibile est ambulare.

Ergo possibile est, vt sedens ambulet.

Conclusio est falsa. Resp. Antecedentis duplex potest esse sensus: coniunctus & divisus: coniunctus, si *sedentem* & *ambulare* coniungantur, & ad idem tempus referantur, ita vt significet, eū, qui sedet, eodem, tempore, quo sedet,

Maior propositio addi potest hoc pacto: quēcunq; possibile est ambulare, possibile est vt ambulet.

ſedet, ambulare; in quo ſenſu falſa eſt: Diviſus, ſi non ad idem tempus, ſed ad diverſa tempora referantur: *ſedentem* nempè ad præſens, *Ambulare* ad futurum, vt ſignificet poſſe eum, qui nunc ſedet, poſteà ambulare: in quo ſenſu vera eſt: ſed tunc ex ea non ſequeretur falſa illa concluſio. Hîc in ſenſu coniuncto & compoſito, non in diviſo ſumitur.

Secũdus paralogiſmus ſimilis eſt præcedenti, qui hũc in modum colligitur.

Non ſcribentem poſsibile eſt ſcribere,
Ergo poſsibile eſt, vt non ſcribẽs ſcribat.

Concluſio ſimiliter eſt falſa. Antecedens itaq; duplicẽ ſenſum habet: vnum compoſitum, alterum diviſum: compoſitum, ſi *non ſcribentem ſcribere* coniungantur & ad idem tempus referantur: diviſum, cum diverſa tempora reſpiciunt. Hîc in priori ſenſu, in quo eſt falſa, ſumitur, non in poſteriori: vnde in huius argumẽtationis, ſicut in præcedentis, cõcluſione plus eſt, quã in præmiſſis.

Tertius paralogiſmus ſic colligi poteſt.

Quicunq; ſcit literas nunc didicit eas
Antiquus Grammaticus, quas prius didicit, ſcit literas.
Ergo quas prius didicit, nunc didicit.

Concluſio eſt falſa. Maior propoſitio duplicem habet ſenſum: coniunctum, ſi coniungatur *nunc* cum verbo *didicit*, ita vt ſenſus hic ſit, qui falſus eſt:

Quicunq; ſcit literas, nunc didicit eas.

Diviſum, ſi ab eodem ſeiungatur, & referatur ad verbum *ſcit*, ita vt ſenſus hîc ſit, qui verus eſt:

Quicunq; ſcit literis nunc, didicit eas.

Hîc in ſenſu compoſito, non in diviſo ſumitur, nempè ſi comma poſt *literas* ſubiungatur, & non poſt *nunc.*

Quartus Paralogiſmus ſic colligitur.

Quicunq; poteſt vnum & vnum ferre, poteſt multa ferre.

Qui

Qui vnum solum potest ferre, vnum & vnum potest ferre.

Ergo qui vnum solum potest ferre, multa potest ferre.

Conclusio est falsa. Maioris propositionis duplex potest esse sensus: compositus, si *multa ferre* coniunctim & simul sumatur, ita ut sensus sit.

Qui vnum & vnum, id est, vnum post vnum potest ferre, potest multa simul ferre.

Divisus, si *multa ferre* divisim, hoc est, successivè accipiatur, ita ut sensus sit.

Qui potest vnum & vnum ferre, potest multa ferre successivè licet non simul.

In sensu composito, qui falsus est, non in diviso, qui verus est, hîc sumitur,

4 *Qui sunt paralogismi Fallaciæ Divisionis*

Paralogismi Divisionis quatuor sunt apud Arist.

Nonnuli sic colligũt, quæ sunt duo & tria sunt paria & imparia: quinque sunt duo & tria ergo quinque sunt paria & imparia.

Quæcunq; sunt duo & tria, item paria & imparia sunt duo distincti numeri.

Quinq; sunt duo & tria, item paria & imparia.

Ergo quinq; sunt duo distincti numeri.

Conclusio est falsa, Minor proposito duplicẽ habet sẽsum: cõpositũ, si *duo* & *tria*, itẽ *paria* & *imparia* cõiũgãtur, hoc est, unũ faciant predicatũ, ita ut sensus hic sit.

Quinq; sunt duo & tria, item paria & imparia simul & coniunctim sumpta.

In quo sensu vera est: Divisum, nempè si separentur, & duo quasi predicata efficiant, ita ut sensus hic sit.

Quinq; sunt duo, & quinq; suut tria.

Item.

Quinq; sunt paria, & quinq; sunt imparia.

In quo sensu falsa est: Hic in Diviso, non in composito accipitur.

Secundus paralogismus in hanc formã reduci potest.

Maius

Maius dicitur, quod est tãtũ quãtũ alterũ, & amplius. Ergo quod maius est, tantum erit, quantum alterum: itaq, æquale.

Conclusio est falsa. Antecedẽtis propositionis duo sũt sensus: compositus, si *tantum* & *amplius* coniungantur & vnum efficiant predicatum (ut dictum est in precedenti paralogismo) ita ut hic sit sensus,

Maius dicitur tantum quantum alterum, & etiam amplius simul sumpta:

Qui sensus verus est. Divisus, si hæc dividantur, & duo efficiant prędicata, ita ut sensus sit.

Maius dicitur tantum, quantum alterum: & maius dicitur aliquid amplius.

Et hic sensus falsus est, in quo hic sumitur.

Tertius paralogismus hunc in modum colligitur.

Ego te reddidi servum existentem liberum.

Ergo tu, cum sis servus, liber es.

Conclusio falsa est. Antecedens propositio duplicem habet sensum: unũ cõpositũ, nempe si *existẽtẽ & servũ* coniũgãtur, & comma post *servũ* apponatur hoc modo

Ego te reddidi servum existẽtẽ, liberũ, hoc est cum servus fueris, feci te liberum.

Et hic sensus verus est: alterum Divisum, si hæc separentur à seinvicem, & comma post *servum* adiiciatur hoc pacto.

Ego te reddidi servum, existentem liberum, hoc est, cum anteà fueris liber, ego te servum feci.

Et hic sensus falsus est: in quo hic sumitur.

Quartus paralogismus hoc pacto in formã redigitur.

Ex quibus relinquuntur centum, ea plura sunt, quàm centum.

Quinquaginta è viris centũ liquit divus Achilles

Ergo quinquaginta plura sunt, quàm centum.

Cõclusio est absurda. Minoris propositionis duplex est sensus:

Vel sic colligitur. Quod est tantundẽ, est æquale, at quod est maius, est tantũdem, et aliquid amplius. Ergo quod est maius, est æquale.

Videtur esse versus Menãdri, à Terentio in Andria sic expressus scena 1. *Ut esses libertus mihi*: quamvis verba Menandri dubia sint: vel enim significant: *feci te ex servo liberum*: vel *feci te ex libero servum*. Pacius.

ſenſus: coniunctus, nempe ſi *liquit* & *quinquaginta* coniungantur, ita vt ſenſus ſit.

Divus Achilles liquit quinquaginta è viris centum:

Et hic ſenſus verus eſt: Diviſus, ſi hæc ſeparentur & *liquit* referatur ad *centum*, ita vt hic ſit ſenſus.

Divus Achilles liquit centum è quinquaginta viris:

Et hic ſenſus falſus eſt: Hoc in loco illa propoſitio in ſēſu Diviſo, non in compoſito accipitur.

Quintilianus l. 7. c. 9. ſic habet Quinquaguinta vbi erant centum inde occidit Achilles. Quis fuerit huius carminus author, incertum eſt.

In quibus locum habet Fallacia Accentus, num in oratione voce prolatâ, an potiùs in ſcripta oratione?

Locum habet potiùs in oratione ſcripta. Nam vt (inquit Ariſt.) παρὰ δὲ τὴ προσῳδίαν, ἐν μὲν τοῖς ἄνευ γραφῆς διαλεκτικοῖς, οὐ ῥᾴδιον ποιῆσαι λόγον ἐν δὲ τοῖς γεγραμμένοις καὶ ποιήμασι μᾶλλον. Hoc eſt, Ex Accentu verò in non ſcriptis diſſertationibus (Sophiſticis) haud facile eſt efficere argumentationem: ſed in ſcriptis & poëmatis potius.

Nota hîc διαλεκτικοῖς pro σοφιστικοῖς accipi.

Quot ſunt Paralogiſmi huius Fallaciæ?

Duo ſunt Paralogiſmi huius fallaciæ apud Philoſophum: quorum neuter latinè exprimi poteſt: propoſitio, ex qua alter conficitur, Græcè ſic habetur.

u Τὸ μὲν ου καταπύθεται ὄμβρῳ.

Paralogiſmus oritur ratione particulæ ου. Nam pro diverſo Accentu diverſam habet ſignificationem: ſi ſignetur circumflexo tono, & aſpero ſpiritu hoc modo οὗ, tum eſt genetivi caſus à relativo ὅς, ἥ, ὅ. & ſignificat *cuius*, vt ſenſus ſit:

x Τὸ μὲν οὗ καταπύθεται ὄμβρῳ. *id eſt, cuius aliquid ſeu pars putreſcit imbre.*

Si verò acuto tono, & leni ſpiritu denotetur hoc pacto οὔ, tum adverbium eſt negandi, & idem eſt quod *non*, ita vt ſenſus ſit:

Τὸ μὲν οὔ καταπύθεται ὄμβρῳ, *id eſt, hoc non putreſ-*

trescit imbre.

Quare patet hanc particulam pro diverso Accentu diversa significare. Paralogismus sic colligi potest. Vide Scholia in V.

Qui dicit de aliqua arbore, τὸ μὲν οὐ καταπύθεται ὄμβρῳ, *dicit eam, aut aliquam eius partem imbre putrescere.*

Sed Homerus dixit de picea arbore τὸ μὲν οὐ καταπύθεται ὄμβρῳ.

Ergo Homerus dixit piceam arborem imbre putrescere.

Conclusio falsa est. Nam picea imbre non putrescit: ut posteà videbitur.

Propositio, ex qua secundus Paralogismus confici potest, talis est: 2

Διδόμεν δέ οἱ εὖχος ἀρέσθαι:

Ambiguitas latet in verbo διδόμεν, quod pro diuerso Accentu diversa significat. Nam si acutus tonus sit in antepenultima, hoc modo δίδομεν, tum est prima persona pluralis numeri Modi Indicativi, & significat *Damus* sivè *concedimus*, ita ut hic sit sensus.

δίδομεν δέ οἱ εὖχος ἀρέσθαι I. *concedimus illi, nempè Agamemnoni, ut voti sui fiat compos.*

Ac si hęc verba Iuppiter in sua persona protulisset. Si verò acutus tonus sit in penultima, hoc pacto διδόμεν, tum est Infinitivus Ionicus, & idem est quod διδόναι, hoc est, dare sivè concedere, ut sensus sit, quod Iuppiter mandavit somnio.

Διδόμεν δέ οἱ εὖχος ἀρέσθαι *id est, concedere, sivè ut concederet Agamemnoni, ut voti sui fieret compos.*

Et in hoc sensu videtur Aristoteles illud verbum hoc in loco accepisse. Nam (inquit) non ipse Iuppiter dixit.

Δίδομεν δέ οἱ εὖχος ἀρέσθαι, *id est, damus illi, ut fiat voti compos.*

Sed somnio mandavit

διδόναι

ἐνδεῖναι id est, dare siuè concedere illi, ut fieri voti compos.

6 *Quando oriuntur captiones ex Figura Dictionis?*

Cum quis similiter & eodē modo interpretatur, quod non idem est, hoc est, cum quis eandem rationem vocum similium esse existimet, ita vt quicquid vni attribuitur, alteri etiam attribuendum propter quandam similitudinem arbitretur, quod reverà non est attribuendum,

Quot species paralogismorum huius Fallaciæ ab Arist. traduntur?

1 Duę, una est: cum eadem affectio sivè proprietas Grāmatica vocibus similibus attribuitur, quę reverà iis nō est attribuenda. Vt si quis nomen Masculinum putet esse Fœmininum, aut Fœmininum esse Masculinum, aut putet Neutrum esse alterum horum propter nominum similitudinem quoad finalem terminationē exempli causa.

Eadem est ratio ipsius poeta *&* musa.
Sed musa *est Fœmini generis.*
Ergo & poeta.

Item.

Eadem est ratio ipsius poema *&* poeta.
Sed poeta *est Musculini generis.*
Ergo & poema.

2 Secunda, cum eadem affectio sivè proprietas Dialectica vocibus similibus attribuitur, quæ reipsâ attribui non debet: ut si quis putet Quantitatem esse Qualitatem, aut è contra, Qualitatem esse Quātitatē: aut Faciēs putet esse Patiens, hoc est, Actionē esse Passionem, aut deniq; cum putet Affectum sive Qualitatem esse Actionē aut aliquam aliam Categoriam: exempli causa.

Eadem est ratio valere *quæ est* secare *vel* ędificare.

Sed

Sed secare & ædificare ponuntur in Actione.
Ergo & valere.

Conclusio falsa est. Nam *valere* potius Qualitatem, & affectionem quādam significet. Eodem modo & in aliis se res habet. Qui igitur ex *Dictione* Elenchi ducuntur, his modis fiunt.

SCHOLIA IN CAP. 3.

De Metis Sophistarum.

QVemadmodum Natura in rebus producendis omnia propter finem agit: & sicut Ars, quæ Naturam imitatur, in rebus (iam productis) efformandis & perpoliendis scopum quendam intēdit, in quo omnes ipsius actus & operationes conquiescunt: ita Sophistice, quæ artē, imò sapiētiā imitatur, finē quendā proponit, qui actuum ipsius, hoc est contentionum & altercationū terminus censetur. Hic finis metaphoricè vocatur Meta, *ad quem scil.* Sophistæ *non aliter, quàm sagittarij, venenosa sua tela & damnosas sagittas, hoc est, captiosas suas rationes dirigunt & immittūt. Est ergo Meta* Sophistices *(vt inquit Aquinas in opusculo de Fallacijs) aliquod inconueniens, seu alicuius inconuenientis admissio, ad quod* Sophista *ducere nititur* Respondentem. *Quinque sunt Metæ Sophistices siuè* Sophistarum, Ἔλεγχος, Ψεῦδος, παράδοξον, σολοικισμὸς καὶ ἀδολεσχία. Meta Sophistices quid.

hoc est, Redargutio, Falsũ, Inopinabile, Solœcismus & Nugatio: quarum numerus ab interpretibus hinc comprobatur. Tale incõveniens vel est ex parte sermonis sivè vocis, vel ex parte rei: si sit ex parte sermonis, vel est ex parte substantiæ sermonis, & sic est Nugatio : vel ex parte accidentium, quibus vox cum voce ordinatur, & sic est Solœcismus : si sit ex parte rei, vel est ex parte rei absolutè, & sic est Meta Falsi : vel per respectum ad aliud: & hoc bifariam, vel per respectum ad Respondentis positionem, sivè ad scientiam vulgi & sapientum, & sic est Inopinabile : vel per respectum ad præconcessum vel prænegatum, & sic est Redargutio. Nota. *Notandum est Sophistas non semper assequi has Metas, sed hoc maximè contendere, vt assequi videantur, quippe qui veritati opinionem hominum in omnibus anteponant. Ergo omnis eorum cura in ea posita est, vt non verè, sed apparenter (vt loquuntur) hos Fines consequantur; sicut id vnum student (vt dictum est) vt sapientis & Dialectici officia præstare magis videantur, quam vt præstẽt, nec videantur. Aquinas existimat has Metas respicere diversas Disciplinas, nempè Redargutionem esse contra Metaphysicam : Falsum esse contra Physicam & Mathematicas scientias: Inopinabile contra Dialecticam : Solœcismum contra Grammaticam : Nugationem contra Rhetoricam. Sed ego existimo has omnes*

solam

solam Dialecticam posse aliqua ex parte respicere.

Obiectio.

Vnicus est finis Sophistæ, nempè quæstum facere. Ergo non sunt quinq;.

Solutio.

Vnicus est finis vltimus ipsius, sed plures sunt fines intermedij; quales hæ Metæ sunt, quibus vltimum illum finem consequitur.

Obiectio.

Sophista aliquando vi argumentationis suæ captiosæ cogit Respondentem tacere. Ergo videtur, quod silentium sivè taciturnitas sit Meta sophistarũ: vnde non sunt tantum quinq;.

Solutio.

Quotiescunq; Sophista cogit Respondentem tacere, tunc Respondens implicitè & occultè incidit in aliquam Metam harum quinq;, ne videatur expressè aliquod inconveniens concedere. Quare Respondens quispiam in Metam incidit vel explicitè vel implicitè: si implicitè tacendo aliquod inconveniens concedat, habet Sophista, quod expectat.

---

1. De Meta Redargutionis.

b *PRimum & maximè cõtendunt Sophistæ (inquit Arist.) vt redarguere Respondentem videantur: vndè Redargutio, vt ordine prima est, ita virtute, & affectu Sophistæ principalis &* Plura de his Metis vide c. 12. & 13. huius lib.

 præ-

Redargutio quid?

Vel: Redargutio est, qua Sophista intendit Respondentem cogere, ut affirmet, quod prius negavit, aut neget quod prius affirmavit.

præcipua censetur Meta. Hac enim Respondens maximè sibi contrarius videbitur. Ab Aquinate sic definitur. Redargutio est præconcessi negatio, vel prænegati concessio vi argumentationis Sophisticæ in eadem disputatione: hoc est, quando Respondens cogitur vi argumentationis Sophisticæ vel affirmare illud, quod priùs negavit, vel negare illud, quod priùs affirmavit: ut si Respondens negaverit se carnes crudas comedisse, contra ipsum instabit Sophista hoc pacto.

Quicquid emisti, comedisti.
Carnes crudas emisti.
Ergo carnes crudas comedisti.

Si hoc ergo vi argumentationis Sophisticæ concesserit, in Redargutionem incidere cogitur, in Redargutionem (inquam) non simpliciter & absolutè, sed respectu sui tantum: at si non in eadem disputatione, aut non vi argumentationis Sophisticæ, sed in diversis, vel sponte, nempè ut ostendat scientiam, aut ingenium, contradictoria defendendo exerceat, concesserit quod priùs negauit, aut negauerit quod priùs concessit, in Redargutionem non attrahitur.

Obiectio.

Concedens duo contradictoria non necessariò negat præconcessum, nec necessariò concedit prænegatum. Ergo definitio Redargutionis non valet.

Solu-

Solutio.

Quamvis concedens duo contradictoria non pernegat aliquid primò & per se, tamen ex consequenti pernegat, quia concedendo vnum contradictorium, negat aliud praeconcessum.

Obiectio.

Dialecticus redarguit adversarium. Ergo Redargutio non est Meta Sophistae.

Solutio.

Dialecticus verè redarguit: Sophista *verò non reipsa redarguit, sed videtur redarguere : vnde Redargutio* Sophistae *verè non est Redargutio. Nam sicut* Syllogismum *non conficit : ita nec Elenchum concludit.*

---

2. De Meta Falsi.

C SEcundo in loco (inquit Philosophus) contendunt Sophistae, ut ostendant Respondentem mentiri, seu falsum dicere. Falsum est manifesti falsi concessio, vi argumentationis* Sophistica, *hoc est, quando Respondens cogitur vi argumentationis concedere quod manifestè falsum est. Vt si quis sydus cœlestè esse latrabile tali argumentatione concedere cogatur:* Falsum quid? Vel: Falsum est, quo Sophista studet cogere Respondentem ut aliquid concedat quod est manifestè falsum.

Omnis canis est latràbilis.
Sydus cœleste est canis.
Ergo sydus cœleste est latrabile.

Conclusio est manifestè falsa. Dicitur hac Meta (inquiunt Colonienses) esse manifesti falsi concessio,

 quia

quia si Respondens concedat falsum occultum, non dicetur in hanc Metam trahi: quoniam per hoc Opponens non cõsequitur aliquam gloriam contra Respondentem: quia sine multo dedecore talia esse falsa contingit quempiam ignorare: Exempli causa: si quis concedat Solem non esse maiorem totâ terrâ, concedit falsum; quia contrarium tenent omnes Astronomi, & revera ita se res habet: verum quia hoc omnibus non videtur falsum (vulgus enim Solis quantitatem exiguam, veluti bipedalem, esse suspicatur) hinc nõ incidit in Metam Falsi, si astãti multitudine & vulgo concesserit Solem non esse maiorem totâ terrâ. Unde Falsum hic sumitur non pro eo, quod in natura rei falsum est, sed pro eo, quod omnibus videtur esse falsum.

---

3. De Meta Inopinabilis.

Inopinabile quid? Vel, Inopinabile est, cum studet Sophista adversarium eò perducere, vt aliquid contra opinionẽ astantium loquatur.

d *INopinabile est alicuius, quod est contra opinionem, concessio vi argumentationis Sophisticæ: hoc est, quando Respondens cogitur vi argumẽtationis Sophisticæ illud affirmare vel concedere, quod licet non sit manifeste falsum, tamen apud illos, qui intersunt disputationi, habetur pro falso, aut pro non probabili: quia cum communi opinione pugnat: ideoq; iudicatur absurdum: Et potest Meta Absurdi appellari: vt si quis aliquem regem divitem confitetur esse miserum tali argumentatione.*

Quęcunq; contingit ab aliquo vinci, hic miser est,
Regē divitem contingit ab aliquo vinci,
Ergo rex dives est miser.

Inopinabile & Falsum eodē modo differūt, quo verū & probabile. *Sicut enim Falsum Vero: ita Inopinabile Probabili opponitur. Probabilia dicūtur, teste Philosopho li. 1. Top. c. 1. quæ videntur omnibus, vel plurimis, vel sapientibus: atq; his, vel omnibus vel plærisq; vel clarissimis. Ergo etiam & Inopinabile tot modis dicitur, nempè, quod sit contra opinionem omnium, vel plurimorum, vel sapientum: atq; horum, vel omnium vel plærorumq; vel clarissimorū. Vnde nec omne Falsum est Inopinabile, nec omne Inopinabile est Falsū. Fieri enim potest, vt quod natura suâ falsum est, nonnullis illud probabile & verum videatur. Et è contra, vt, quod nonnullis probabile videtur, in naturâ suâ sit falsum. Unde multa inopinabilia possunt esse vera: vt inopinabile est solem esse maiorem, totâ terrâ, sed tamen verū. Ergo si quis hoc concesserit apud multitudinem, in Metam Inopinabilis incurrit; si verò apud Philosophos neget, similiter in hanc Metam incidit. Unde patet pro diversitate auditorum Respondentem in hanc Metam trahi: Quare callidi Sophistæ semper respiciunt auditores, & cogere conantur Respondentem, vt cōtra illorum opinionem aliquid concedat. Ad hanc etiam Metam pertinent non solum contrariæ*

Inopinabile & falsum quomodo differunt?

opiniones, sed etiam contrarietas Voluntatis & Sermonis hominum, & contrarietas etiam Naturæ & Legis, sicut habet Philosophus cap. 12. huius lib. Vbi vide quot modis aliquis ad Metam Inopinabilis adduci solet.

Obiectio.

Omnis propositio vel vera est, vel falsa. Ergo non est aliquod medium inter has, nempè propositio probabilis vel inopinabilis.

Solutio.

Propositio consideratur vel
1 *In naturâ suâ: sic omnis propositio vel vera est, vel falsa, hoc est, verum vel Falsum significat.*
2 *Respectu personæ opinantis: sic non omnis propositio est vera, vel falsa, sed aliqua probabilis, aliqua improbabilis sivè inopinabilis.*

---

4. De Meta Solœcismi.

Vel Solœcismus est, cum Sophista conatur, ut adversarius incôgruè loquatur.

e *Solœcismus est alicuius orationis incongrua concessio vel admissio vi argumentationis sophisticæ, hoc est, quando Respondens cogitur vi argumentationis* Sophisticæ *admittere aliquam propositionem, in qua est orationis incongruitas, seu artis Grammaticæ vitiũ quoad Syntaxim. Vt, si cogatur admittere hanc propositionem, Mulier est candidus, tali argumento.*

Omnis homo est candidus
Mulier est homo
Ergo mulier est candidus.

Asinius

Asinius Capito (teste Gellio) Solœcismum *sic definit.* Solœcismus *est impar & inconueniens compositura partium orationis: Appellatur ab eo, eiusdēq; ætatis alijs* Imparilitas : *A vetustioribus latinis* striblig o *dicebatur, à versura vz & prauitate tortuosæ orationis, tāquam sterobiligo queda. Hæc Gellius. Duo sunt vitia latini, hoc est, perpoliti sermonis, quæ maximam habent affinitatem:* Solœcismus, *& Barbarismus, sicut Author ad Herenium testatur, qui hunc in modum scribit. Vitia in sermone, quominus is latinus sit, duo possunt esse:* Solœcismus *& Barbarismus.* Solœcismus *est, cum verbis pluribus consequens verbum superiori non accommodatur. Barbarismus est cum verbum aliquod, vitiosè effertur. Toxites hunc locum exponens, sic loquitur.* Solœcismus *in verborū cōnexione fit, cum accidentia partiū orationis, genera, casus, tēpora, modi, personæ, &c. perturbantur. Barbarismus est in pronunciatione vitiosa, cum aut corripimus, aut producimus syllabā, vel nō producēdā, vel nō corripiēdā. Hæc Toxites. Vnde patet* Solœcismū *cōtra Syntaxin, Barbarismū cōtra Prosodiā vitiū esse. Lovanienses & Cæsarius existimant* Solœcismum *hoc in loco & pro Barbarismo communiter accipi, quòd probant Lovanienses ex contextu Philosophi, qui sic se habet,* τοῦτο δ᾽ ἐστι, τὸ ποιῆσαι, τῇ λέξει βαρβαρίζειν ἐκ τοῦ λόγου τὸν ἀποκρινόμενον, *hoc est, efficiant argumentatione, vt Respondens barbarè loquatur; vnde ex hoc vocabulo*

βαρβα-

Lib. 5. c. 20.

Lib. 4. Duo vitia latini sermonis.

Solæcismus Barbarismus

Vide Quintilianū lib. 1. cap. 5.

Cap. 3.

βαρβαρίζειν, colligunt Louanienses Solœcismum
2 hîc etiam pro Barbarismo accipi oportere. Ad Arist. quod attinet, Respondet Mathisius in hunc

Vide Strabonem lib. 14.

modum. Nota verò hic τοῦ βαρβαρίζειν verbum impropriè accipi. Neq; enim idem quod σολοικίζειν valet, cum σολοικισμὸς in orationis compositione & structura propriè verfetur: βαρβαρισμὸς verò spectetur in verbis singulis. Hanc opinionē, vt veriorem, recipiendam puto. Solœcismus enim (ut ait Donatus) est vitium in contextu

Lib 7. de vita Philosoph.

partium orationis contra regulam Artis Grāmaticæ: & (ut ait Laertius) Solœcismus est oratio incongruè constructa: & in hoc sensu Solœcismum hîc sumi patet ex Arist. c. 13. huius lib. Atq; hæc de Solœcismi naturâ dicta sufficiant. Quod

Solæcismi etymon & origo.

ad huius vocem etymon & originem attinet, notandum est, quod Σόλοικοι iȷ dicebantur, qui Solis, in vrbe Ciliciæ habitarunt: vnde & nomen sortiti

Scapula.

sunt. Σόλοι enim Solos, illam vrbem, οἰκέω, habito significat. Peculiariter Σόλοικοι appellati fuerūt iȷ, qui cum Solis habitassent, Attici tamen essēt, aliquantum ab elegantia & venustate sermonis Attici discesserant, & linguâ ex Attica & solica mixtâ loquebantur. Hoc testatur Laertius.

Lib. 1. in vita Solonis. Plutarchus scribit (in vita Solonis) hanc ciuitatem non à Solone fuisse conditam,

A Crœso (inquit) in Ciliciam profectus Solon, vrbem condidit, atq; ex suo nomine Solos appellauit, in qua Athenienſium aliquot statuit, qui tractu temporis, cum patriam vocem corrupissent, σολοικίζειν dicti sunt. Hæc Laertius. Generali-

neraliter autem Barbari omnes, .i. Barbare ac vitiose loquentes nominati fuerunt σόλοικοι. Hinc σολοικίζω, refero Solœcos in loquendo, non loquor ut probatus loquendi mos: vnde σολοικισμὸς, Solœcismus. Generaliter hoc nomine appellatur quicquid perperam fit, nec rectè, nec ordine suo. Propriè autem ita dicitur λόγος ἀκαταλλήλως πεπηγμένος, id est, oratio incongruè vel inconcinnè constructa: in quo sensu hic sumptum esse dixi: sed tum tantum, cum hoc accidit vi argumentationis Sophisticæ. Negat A. Gellius has voces Solœcismum & Barbarismum apud Græcorum idoneos se umquam invenisse: verba ipsius hæc sunt lib. 5. c. 20. Cum Græcum vocabulum sit Solœcismus, an Attici homines, qui elegantius loquuti sunt, vsi eo sint, quæri solet. Sed nos neque Solœcismum, neque, Barbarismum Apud Græcorum idoneos adhuc invenimus. Nam sicut βάρβαρον, ita σολοῖκον dixerunt. Nostri quoque antiquiores Solœcum facile, Solœcismum haud scio an vmquam dixerint. Quod si ita est, neque in Græco neque in Latino Solœcismus probè dicitur. Hæc Gellius. Sed pace Gellij, Σολοικισμὸς apud Aristotelem hoc in loco reperitur, quem nemo Græcorum idoneum fuisse negabit: & Solœcismus lib. 4. ad Herennium, & lib. 1. c. 5. apud Quintilianum legitur. De Barbarismo & Solœcismo plura vide apud Strabonem lib. 14. Geographia & apud Quintilianum lib. 1. c. 5.

sed a Philocypro rege Cypri, & in gratiam Solonis ab eo Solos nuncupatam. Idem scribit hanc civitatem in Cypro sitam fuisse, & prius Epenam dictam fuisse. Vide Plutarchum ibidē.

Solœcis-

Solæcismus sivè Barbarismus fieri potest.	1 In sermone scribendo, qui peccat contra Orthographiam.
	2 In sermone pronunciando, qui peccat contra prosodiam.
	3 In sermone contexendo, qui peccat contra syntaxin, in quo sensu hic sumitur.

5. De Meta Nugationis.

f VLtimo loco (inquit Philosophus) contendũt Sophistæ ut adversarium sæpius idẽ dicere cogant, & ad ineptam eiusdam verbi iterationem adducant: quæ Meta dicitur Nugatio. Est ergo Nugatio unius & eiusdem vocis in eadem orationis parte inutilis & inepta repetitio, quando scil. Respondens cogitur vi argumentationis Sophisticæ idem inutiliter repetere: ut si Respondens cogatur fateri nasum esse simum nasum simum tali armentatione.

Nugatio quid? Vel inopinabilem est cũ Sophista nititur eo adversarium ducere ut idem inutiliter repetat.

Nonnè iste nasus est simus?
Nonnè simum est nasus simus?
Ergo iste nasus est simus nasus simus.

In hac argumentatione simus *sæpè & inutiliter cogitur Respondens repetere.* In eadem orationis parte, *hoc additur, quia si unum idemq; repeteretur à parte subiecti & prædicati non esset Nugatio. Quintilianus* ταυτολογίαν *& Nugationem pro eodem sumit, et si non semper in vitio illam haberi velit, uti à summis autoribus subinde frequẽtatam. Repetitio enim inter Rhetorum ornamenta non minimum locum obtinet. Hæc Meta vo-*

Lib. 8. c. 3.

cari

cari potest. Meta coccismi. κοκκυξ enim cuculum significat. Quoties posterior dictio declarat priorē, non est Nugatio, ne si (inquit Glareanus) genus quidem sequatur speciem: ut lupus piscis. Vnde non qualibet repetitio dicitur Nugatio, sed quæ inutilis est, & quæ provenit ratione Argumentationis Sophisticæ.

De Modis Redarguendi, sivè de Locis Sophisticis & Fallaciis.

g PRopositâ generali huius operis distributione, nunc ad primæ partis specialem explicationem se accingit Philosophus, docens in duo genera omnem Elenchum sive Reprehensionem Sophisticam distributam esse. vbi notandum est Sophistā esse veluti simiam ipsius Dialectici, & totam ipsius operam in eo esse positam, vt illum in argumentationibus contexendis imitetur, aut saltem imitari videatur: sicut refert Plato in Sophista. Quemadmodum ergo Dialecticus suos habet locos, ex quibus tanquam ex communi Thesauro sua argumenta vel ad rem confirmandam, vel refellendam depromat: sic & Sophista suos habet locos, ex quibus captiones ad irretiendos & fallendos homines deducat: Et sicut loci Dialectici in internos & externos dividuntur: sic etiā loci Sophistici partim sunt interni, partim sunt externi. Sed in hoc differunt, quod loci Dialectici sunt

Mathisius hactenus Aē. est. de primis illis, scilicet communioribus: iam ad specialia id est Sophisticos Elēchos explicandos accedit.

sunt ad convincendum fortes, ad expugnandum neruosi, & ad probandum veluti lydius lapis: Sophistici verò sunt ad superandũ debiles, ad redarguẽdum languidi, & ad feriendum veluti pumiceus lapis. Hi loci Sophistici appellantur ab Arist. τρόποι τοῦ ἐλέγχειν, hoc est, Modi Redarguendi, siuè species Redargutionis Sophisticæ: vulgo appellantur Fallaciæ. Argumentationes verò, quæ istiusmodi struuntur Fallacijs (teste Cæsario) nunc Sophismata, nunc Paralogismi à Græcis dicuntur, nominibus profectò accommodatissimis, quippe quæ à verbis deducuntur σοφίζεσθαι καὶ παραλογίζειν, quæ verba apud Latinos interpretãtur imponere. Adeò enim his cauillationibus atq; argutijs decipitur imperitus quispiam, vt credat id esse, quod non est. vocantur etiam ab Arist. c. 1. huius lib. Sophistici & apparentes Elenchi. Hi loci siuè Fallaciæ in genere diuiduntur in Fallacias intra dictionẽ παρὰ τὴν λέξιν, sicut in locos internos: Et in Fallacias extra dictionem ἔξω τῆς λέξεως, tamquam in locos externos. Vbi per dictionem non solum venit intelligenda vox simplex, sed etiam vox cõplexa nempè oratio, sicut suo loco patebit. Vocantur autem Fallaciæ intra dictionem quia Paralogismi, qui ex his deducuntur, sumunt, apparentiam siuè probabilitatis suæ speciem ex dictione, hoc est, voce simplici, vel complexa, & tota eorum vis ex ipsis verbis, aut oratione enascitur. Appellantur Fallaciæ extra dictionem, quia Paralogismi

Diuisio fallaciarum Loci Sophistici partim in verbis partim in rebus consistunt: quia Sophistæ cupiunt nullius omnino neque verborum neque rerum ignari videri. Nam non minus verborum & orationũ Sophistis quã ipsarum re-

gismi, qui ex his fiunt, accipiunt apparentiam sivè probabilitatis suæ speciem non ex verbis, sed ex rebus perperam intellectis & accommodatis. Vndè definitio vtriusq; satis nobis potest innotescere. Quæ autem sit definitio Fallaciæ in genere, non conveniunt interpretes inter se. Aliqui enim eam sic definiunt; Fallacia est idoneitas, hoc est, aptitudo decipiendi faciens credere de nõ ente quod sit ens, & de ente quod non sit ens, mediante phantastica visione. Alij hoc modo eam definiunt. Fallacia est deceptio, qua aliquis opinatur id, quod est verũ esse falsum: vel id, quod est falsum, esse verum. Ego puto fallaciam sic definiendam esse. Fallacia est sedes & domicilium Argumenti Sophistici. Nam sicut locus Topicus sivè Dialecticus est sedes Argumenti Dialectici sivè probabilis: ita etiam locus Sophisticus, quem confundimus hoc in loco cum Fallacia, est sedes argumẽti Sophistici, ex qua scil. Sophista illud depromit. Et sicut Argumentatio Dialectica differt à loco Dialectico; sic Argumẽtatio Sophistica differt à Fallacia sivè loco Sophistico. Argumẽtatio enim ex loco deducitur. Loci Sophistici sivè Fallaciæ in specie sunt tredecem: sex intra dictionem, & septem extra dictionẽ: quæ in cap. 3. & 4. Analysi tradita sunt. Hæ Fallaciæ adiuvandæ memoriæ causâ his duobus versiculis continentur.

rum cura incumbit: vtpote qui eloquentiæ pariter ac sapientiæ professores se ac magistros ab omnibus haberi volunt. Mathisius

Fallaciæ definitio.

Prima definitio.

Secunda definitio.

Tertia definitio.

Numerus fallaciarum.

AEquiuocans, Amphi, Componit, Dividit, Ac. Fig.

Acci

Acci, Quid, Ignarus, Petit, Infert, Causa, Rogat plus.

Quod sex sint Fallaciæ intra dictionem probari potest (inquit Arist.) Inductione & Sillogismo: hoc est (inquiunt Lovanienses) Syllogismo, cuius Minor propositio Inductione probatur: Huius Syllogismi Maior tantum propositio in contextu reperitur, ex qua construendus est Syllogismus, de quo in Analysi cap. dictum est. Unde hi nullam volunt Inductionē à Syllogismo distinctam à Philosopho allatam fuisse, qua hunc numerum Fallaciarum probet. Eos sic sensisse puto; quia reverà pro Inductione reperiuntur in contextu hæc tantū verba: ἄντε ληφθῇ τὶς ἄλλος *: id est, si sumatur quis alius. Pacius hunc locum additis aliis quibusdam verbis integrum & perfectum reddit hoc pacto:* Cum quia, si sumatur alius quispiam modus, ad aliquem ex his referri poterit: *Ex quibus verbis Inductio confici potest: sicut dictum est in Analysi cap. 3. Ego hanc Pacij expositionem secutus sum. Notant pleriq; interpretes, quamvis quidam non probent, omnem Fallaciam* intra dictionem *oriri propter aliquod Multiplex, quod in ea continetur. Multiplex (inquiunt) est dictio, vel oratio una aut verè aut apparenter multa significans.*

Fallaciæ intra dictionem unde? Multiplex quid?

Multiplex

Multiplex dividunt in
1 Actuale, quod est dictio vel oratio eadem prorsus permanens secundùm materiam & formã, plura significans. Vt: Canis: arare littus &c.
2 Potentiale, quod est dictio vel oratio eadẽ secundum materiam, diversa secundũ formã plura significans. vt, populus: quicquid vivit semper est.
3 Phantasticum sivè apparens, quod est dictio (vel oratio, ut aliqui volunt,) quæ propter similitudinẽ, quam habet cum alia, videtur aliquã proprietatẽ cũ ea habere, quã reverà nõ habet. Vt: planeta videtur esse Fæminini generis, quia musa est eiusdem generis.

Multiplex.
1 Actuale est in: Æquivocationis, Amphiboliæ — Fallaciæ
2 Potentiale est in: 1 Compositionis, 2 Divisionis, 3 Accentus — Fallaciæ
3 Phantasticum est in Fallacia figuræ dictionis.

Consistunt Fallaciæ
1 AEquivocationis, 2 Accentus, 3 Figuræ dictionis — In dictione sivè in simplici voce.
1 Amphiboliæ, 2 Compositionis, 3 Divisionis — In oratione sivè in voce complexa.

Nonnulli existimat Fallaciam Figuræ dictionis *etiã in oratione locum habere, sicut posteà patebis.*

Dictionis vel orati.
1 Materia, sunt literæ, sillabæ, dictiones.
2 Forma, est eiusdẽ accẽtus, sivè proferẽdi modus.

Hinc eadem quoad materiam & formam dictio dicitur, quæ iisdem literis & syllabis scribitur, et eundem habet proferendi modũ. Vt canis. *Similiter eadem secundũ materiam & formã oratio dicitur, quæ ex iisdem dictionibus constat, & eundem habet proferendi modũ. Vt* vellem me hostes capere

pere. *Eadẽ quoad materiã tantũ, & nõ quoad formã dictio dicitur, quæ ijsdẽ literis scribitur, sed non eundẽ habet accentũ. Vt*: populus, malũ &c. *Similiter eadẽ oratio quoad materiam tantum, quæ ex ijsdem vocibus componitur, sed non eodẽ modò profertur. Vt*: possibile est sedentem ambulare. Quicquid vivit semper est &c.

In omni fallacia duplex causa. Glareanus.

In omni Fallacia duplex est causa: vna apparentiæ, quæ efficit, vt Argumentatio videatur esse bona, cum non sit: & est veluti principium motivum, vt aliquis ei credat & assentiatur: Altera est causa defectus sivè non existentiæ, quæ latet sub causa apparentiæ, quæque facit vt reverà Argumentatio non sit bona, quamvis videatur esse bona. Exemplum à Natura habemus in ipsis rebus. Orichalcum videtur esse aurum, cum non sit: causa apparentiæ est color & splendor: causa defectus est gravitas in auro & alia multa ab Orichalco differentia.

Fallacia sumitur bifariam

1 *Activè, & est habilitas decipiẽdi, vt aliquis credat id esse, quod non est, vel id non esse, quod est, mediante phantastica visione: & hanc eãdẽ eße volunt cum loco Sophistico:*

2 *Passivè pro deceptione, qua Respondens decipitur Argumentatione Sophistica, profecta ex argumentatione Sophistica: & hæc est subiectivè in ipso Respondente.*

Nota.

Nonnunquam sumitur Fallacia pro ipsa Argumentatione Sophistica.

Obiectio.

Habi-

Habilitas decipiendi est naturalis potẽtia. Sed Fallacia non est naturalis potentia. Ergo non est habilitas decipiendi. Minor prob. quia naturalis potentia non est vituperanda.

Solutio.

Habilitas decipiendi est duplex.	*1 Vna, quæ est ex parte intellectus opponentis, & illa est naturalis potentia, nec est vituperanda, sed potiùs actus & operatio illius.*
	2 Alia est ex parte rerum, vel vocum, quæ est principium, quo intellectus decipit: & hæc non est naturalis potentia: talem statuunt Fallaciam esse.

i *Hoc exemplum ex Platonis Euthydemo traductum est, etsi paululum immutatum. Ibi enim sic legitur. Quid porrò O Clinia (inquit Dionysodorus sophista) cum aliqua Grammaticus recitavit, quinam pueri μανθάνουσι, sapientesne sivè scientes, an ignorantes? Sapientes, inquit Clinias. Ergo sapientes μανθάνουσι, non ignorantes. Hæc Dionysodorus. Vbi μανθάνειν in priori loco significat* intelligere: *in posteriori* perdiscere. *Nonnulli (inquiunt Lovanienses) arbitrantur μανθάνειν esse anceps apud Græcos, sicut* cognoscere *apud Latinos. Cognoscit enim, qui novit, & cognoscit Iudex, qui discit causam: sic opinor Græcis μανθάνειν dicitur præceptor, qui exigit prælecta pueris, & pueri, quibus prælegitur. Hæc Lovanienses.*

k *Ea (inquiũt Louanienses) hoc in loco dicũtur necessaria, quæ ineluctabilia sũt, aut deuitari nequeũt*

sine quibus, etsi absolutè in natura sua mala sint, quia aut dolorem adferunt aut incommoda, determinato tempore nequeamus bonum finem assequi. Qua in significatione necessaria atq; expedientia dicuntur esse, putridi membri resectio, ad tuendam totius corporis salutem: mercium in mare proiectio, ad submersionem evitandam: & iusti viri mors ad fœlicitatis æternæ assequutionem. Hæc Lovanienses. Huic etiam quadrare videtur, quod Servator noster habet Math, 18. Necesse est (inquit) vt eveniant offendicula, veruntamen væ homini, per quem scandalum venit. Sic Paulus dicit oportere Hæreses & schismata esse, vt, qui probati sunt, manifesti fiant. Talia sunt, quæ per se non expetuntur, sed quæ vel ob maioris mali metum, vel ob aliquod bonum aguntur, de quibus consule Arist. lib. 3. Eth. ca. 1.

Obiectio.

1 Sedens & ægrotans *sunt participia præsentis temporis. Ergo non significant eum, qui prius sedebat & ægrotabat, sed eum tantum, qui iam sedet et ægrotat: vnde homonyma non sunt.*

Solutio.

Hæ latinæ voces proculdubiò sunt participia præsentis temporis, sed Græcæ voces, quas Arist. tradit, sunt participia præsentis temporis & præteriti imperfecti: quæ sunt ὁ καθήμενος, *et* ὁ κάμνων. *Omnia enim participia in os, quæ à præsenti tempore Indicativi Modi formantur, & etiā participia in*

ων apud Græcos sunt præsentis & præteriti imperfecti temporis. Notant interpretes, quod Sedens *&* ægrotans *& huiusmodi participia non merè sunt æquivoca, nec prorsus diversam habent significationem respectu ipsius rei, sed tantum respectu temporis. Vnde Aquinas ait vnum esse modum huius Fallaciæ, qui provenit ex diversa significatione, quæ quidem attenditur secundum accidentia partium orationis, nempe numerum, casum, genus, tempus &c. Et instat in his participiis.*

m *Talem Paralogismum conficit Euthydemus sophista apud Platonem, qui est huiusmodi.* In Euthydemo.

Vident homines, quæ possunt videre.
Vident autem nostras vestes.
Ergo nostræ vestes possunt videre.

n *Erasmus in convivio poëtico hos Paralogismos exponens, in hunc modum scribit. Verum hæc (intelligit tres Paralogismos præcedentes Fallaciæ Amphiboliæ) vtcunque reddi poterant latinis auribus: quod sequitur, nullo modo reddi poterat:*

Ἆρα ὃ συ φῇς εἶναι, τοῦτο σὺ φῇς εἶναι.
Φῇς ἢ λίθον εἶναι.
Σὺ ἆρα φῇς λίθος εἶναι.

Quod illi (intelligit quosdam latinos interpretes) sic reddiderunt.

Putas, quod tu dicis esse, hoc tu dicis esse.
Dicis autem lapidem esse.
Tu ergo lapis dicis esse.

Obsecro (inquit Erasmus) quis omninò sensus humanus ex his vèrbis percipi possit? Ambiguitas enim partim pendet ex idiomate Græci sermonis, quæ est in Maiore & Minore: quanquam in Maiore est & alia ambiguitas in duabus dictionibus ὃ & τοῦτο, quæ si capiantur Nominandi casu, sensus erit.

Quicquid te dicis esse, hoc tu es.

Sin Accusandi, sensus erit.

Quamcunque rem tu dicis esse, eam dicis esse.

Et ad hunc sensum subsumit, λίθον φῂς εἶναι: sed ad priorem colligit conclusionem, σὺ ἄρα φῂς λίθος εἶναι. Græci sermonis proprietatem semel ausus est imitari Catullus, cum ait

Phaselus iste, quem videtis hospites,
Ait fuisse navium celerrimus.

Hæc Erasmus. Ausus est etiam Lucanus Lib. 10. eandem imitari, cum ait

Tutumq; putavit
Iam bonus esse sacer.

In Euthydemo. o *Simile est, quod Dionysodorus apud Platonem habet. Quid (inquit, Ctesippum rogans) cum de lapidibus infers sermonem, de lignis & ferro, nonné σιγῶντα dicis?*

p *Paralogismi primi modi hi sunt. Ac primo Homonymiæ.*

Aquila volat.
Sydus est aquila.

Er-

Ergo ſidus volat.

Item.

Canis latrat

Sydus eſt canis

Ergo ſydus latrat.

In Maiore prioris ſyllogiſmi Aquila *ſumitur pro volucre: in Minori pro ſigno cœleſti: In Maiore poſterioris ſyllogiſmi* Canis *ſumitur pro animali, in Minore pro ſtella: vnde neuter eſt ſyllogiſmus, cum conſtet vtérque ex quatuor terminis.*

Paralogiſmi Amphibolia hi ſunt.

Omnis liber Ariſtotelis poſſidetur ab Ariſt.

Hic tuus liber eſt Ariſtotelis.

Ergo hic tuus liber poſsidetur ab Ariſt.

Hac oratio liber Ariſtotelis *ambigua eſt. Nam vel ſignificat librum conſcriptum ab Ariſtotele: in quo ſenſu ſumitur in Minore: vel librum, quem in bonis habet & cuius cenſetur dominus: & in hoc ſenſu ſumitur in Maiori.*

Item

Pecunia Cæſaris, eſt ipſius poſſeſsio.

Hæc tua pecunia eſt pecunia Cæſaris.

Ergo hæc tua pecunia eſt ipſius poſſeſsio.

Pecunia Cæſaris *in Maiori ſumitur pro pecunia, quam in bonis habet: in Minori ſumitur*

pro ea, quæ habet imaginem & inscriptionem Cæsaris. Vnde non est Syllogismus.

Talis est & hic Paralogismus.

Quæ sunt Cæsaris, tradenda sunt Cęsari,
Omnis pecunia in toto imperio est Cęsaris
Ergo omnis pecunia in toto imperio tradenda est Cæsari.

¶ *Secundi modi Paralogismi hi sunt: ac primò Homonymiæ.*

Quicquid ridet, habet os
Pratum ridet.
Ergo pratum habet os.

Ridere *propriè sumitur in Maiore: impropriè & Metaphoricè in Minori, pro fœcundo scil. & fertili.*

Item.

Lupus est animal quadrupes,
Tyrannus est lupus
Ergo Tyrannus est animal quadrupes.

Lupus *impropriè sumitur in Minori, nempè pro homine rapaci: propriè verò in Maiori.*

Paralogismi Amphibolia hi sunt.

Quisquis arat littus, terram proscindit aratro.
Sed qui operam perdit, arat littus.
Ergo qui operam perdit, terram proscindit aratro.

Hac oratio arare littus *propriè sumitur in Maiore: proverbialiter in Minori.*

Item

Item.

Quæ profers, verba ſunt.

Profers Achillem occidiſſe Hectorem.

Ergo Achillem occidiſſe Hectorem verba ſunt.

Hæc oratio verba ſunt *propriè ſumitur in Maiore: proverbialiter in concluſione: verba ſunt, 1. falſum eſt.*

1 *Tertij modi Paralogiſmi hi ſunt: ac primò Homonymiæ.*

Quicqnid eſt inviſum, eſt odioſum.

Sed omnes Angeli ſunt inviſi.

Ergo omnes Angeli ſunt odioſi.

Inviſum *in Maiore ſumitur pro* exoſo: *in Minori pro* inviſibili, *aut pro eo, quod videri nequit, cum partes huius dictionis, nempè* in *&* viſum, *nullam habeāt ambiguitatem.*

Item.

Quicquid eſt inveſtigabile, poteſt inveſtigari.

Viæ Dei ſunt inveſtigabiles.

Ergo vię Dei poſſunt inveſtigari.

Inveſtigabile *ſumitur in Maiori pro* ſcrutabili: *in Minori pro* inſcrutabili.

Paralogiſmi Amphibolia.

Quemcunque contingit ſcire, contingit vt ſciat.

Lapidem contingit ſcire.

Ergo contingit vt lapis ſciat.

Talo

Tale est exemplum Philosophi.

Quodcunq; contingit ſcire, contingit ut ſciat,

Litteras contingit ſcire.

Ergo contingit ut literæ ſciant.

Ambiguitas est in his orationibus lapidem ſcire & literas ſcire. *Nam vel significant aliquem habere ſcientiam* lapidis & literarum, *in quo ſenſu ſumũtur in Maiori: vel ſignificant ipſum lapidem & ipſas* literas *habere ſcientiam alicuius rei, in quo ſenſu ſumuntur in Minori, qui ſenſus falſus eſt.*

In convivio poetico.

Eraſmus pro literas *legit* ſæculum. *Sic enim habet. Rurſum illud admiror, quod mox in genere Ambiguitatis, quæ naſcitur ex pluribus dictionibus coniunctis, mutârint Græci vocem* ſæculi *in* literas, τὸ ἐπίςαϑς γϱάμματα, *cum latini codices habeant*, ſcire ſæculum. *Hic enim duplex ſenſus naſcitur: vel ut ipſum ſæculum ſciat aliquid: vel vt aliquis ſciat ſæculum. Verum hoc mollius eſt in αἰῶνα, ſivè in κόσμον, quam in γϱάμματα. Nam literæ abſurdè dicuntur ſcire quippiam: verum nihil abſurdi ſit, ſiquis dicat aliquid noſtro ſæculo notum eſſe, aut aliquem noſſe ſuum ſæculum. Hæc Eraſmus.* Sed pace *Eraſmi, ſi aſſerat, quòd ſæculum poſſit rem aliquam ſcire, tum non eſſet paralogiſmus huius tertij modi, ſed potius ſecundi modi. Nam in huiuſmodi paralogiſmis propoſitio ambigua debet eſſe vera in vno ſenſu, falſa in in alio ſenſu. Ergo in*

vtroq;

vtroq; sensu vera esse non debet. Sed si sæculū *hic legatur, in vtroq; sensu vera erit: vnde & vera erit conclusio: Ergo non erit paralogismus. Vt.*

Quicquid contingit scire, contingit vt sciat.
Sæculum contingit scire.
Ergo sæculum habet scientiam.

Obiectio.

t *Qualibet Græca dictio accentu suo semper designatur. Ergo Fallacia Accētus non habet locum in scripta oratione.*

Solutio.

Ex hoc loco patet Græcos tempore Aristotelis non magis dictiones accentibus designasse, quam nunc Latini designare solent. Quidam tradunt Divum Hieronymum primum adhibuisse accentus.

v *In versu illo Homerico nonnulli dicunt* οὗ *male notari tono circumflexo, & aspero spiritu, sed potius notandum dicunt tono acuto & leni spiritu, hoc modo:* οὔ: *quasi Homerus perperàm dixerit Abietem vel piceam imbre putrescere: Illiad.* Ψ.

Ἕστηκε ξύλον αὖον ὅσον τ' ὀργυιὰ ὑπὲρ αἴης Alberius.
Ἢ δρυὸς, ἢ πεύκης, τὸ μὲν οὗ καταπύθεται ὄμβρῳ.

id est.

Stat lignum aridum, quantum vlna super terram.
Sivè quercus, sivè pecea, cuius pars quidē putrescit imbre.

Hippias enim Thasius legit τὸ μὲν οὔ, καταπύθεται ὄμβρῳ,

ὀμϐϱῳ id est, quæ quidẽ non putrescit imbre. Aiũt enim piceã neq; imbribus, neq; fontanis aquis, sed marinis putrescere. Et sic cõmuniter legitur. Picea arbor (inquit Plin.) non floret. De hac arbore vide eundem Pliniũ lib. 16. c. 10. c. 24. & 26. l. 17. c. 12. & 24. c. 7.

Hic locus non extat in Homeri editione, quã nunc habemus. Ex hoc loco (inquit Pacius) & multis alijs Aristotelis locis apparet Aristotelem esse vsũ aliã editione. Nam ipse quoque Homerum edidit: nec dubium est, quin ad suam editionem respiciat, quam non habemus. Cæterum cum Aristoteles loquatur de mandato Iovis, quo præcepit somno, vt Agamemnonem falleret: certum est hanc sententiam extare apud Homerum lib. 2. Iliad. Itaq; nõ longè ab initio libri, id est, in versu postremo prolato à Iove, vbi nostræ editiones habent.

Ἥρη λισσομένη, Τρώεσσι δὲ κήδε' ἐφῆπται.

id est.

Iuno supplicans, Troianis verò dolores imminent.

Conijcio Aristotelem legisse.

Ἥρη λισσομένη, δίδομεν δέ οἱ εὖχος ἀρέσθαι:

Vtut sit, quidam legebant δίδομεν I: damus, & reprehendunt Homerum, quasi non servaret decorum, quia faceret Iovem mentientem. Sensus enim verborum est, Damus ipsi, id est, Agamemnoni, ut gloriam reportet, cum tamen Agamemnõ inferior

inferior futurus: & Iuppiter id ageret, ut superaretur à Troianis: alij vero, vt Homerũ defenderent, dixerunt accentum non esse ponendum in prima syllaba, sed in penultima, nec legendum δίδομεν, *sed* διδόμεν, *vt sit verbum infinitum, & significet* Dare. *Nam Doricè atq; Æolicè dicitur* διδόμεναι *pro* διδόναι: *Iones autem per apocopen ex* διδόμεναι *faciũt* διδόμεν. *Itaq; nõ dicet Iuppiter se aut Deos concedere victoriam Agamemnoni: sed mandat somno, ut hoc renunciet Agamemnoni Iovem illi victoriam concedere, adeò vt non Iupiter somno mentiatur, sed somnus Agamemnoni. Hæc quoque solutio fuit Hippiæ Thasij, vt Aristoteles. Testatur lib. de Poëtica. Porro & simile hemistichium extat apud Homerum Iliad lib.* 21. *vers.* 297. *nempè.*

Διδόμεν δέ οἱ εὖχος ἀρέσθαι.

Tamen ad id Aristotelem in presentia non respicere perspicuum est. Ibi enim Neptunus & Minerva Hectorem alloquuntur, & gloriam ei pollicentur.

Pro his duobus Græcis exemplis subiecerunt Latini Interpretes, linguæ Græcæ ignari, hæc exempla ex Latinis Poetis desumpta: alterum desumitur ex Horatio, Ode. 25. *quod est huiusmodi.*

Metuo longas pereunte noctes
Lydia dormis.

Vbi

Vbi ambiguitas est in metuo. *Nã si vna sit dictio, tum sensus hic est.*

Metuo, i. timeo, quod tu Lydia dormis.
Longas noctes, me (amico tuo) pereunte.

Sin autẽ dividatur in duas dictiones nempè in me *&* tuo, *tum mutatur proferendi modus & sensus etiam, qui talis est.*

O Lydia tu dormis longas noctes,
Me tuo (amico) pereunte.

Quamvis & hæc oratio in alio sensu, ad Fallaciã Compositionis referri possit. Nam longas noctes *vel potest cum verbo* dormis *coniungi, vel ab eo se iungi, & referri ad participium* pereũte.

Alterum exemplum ex Virgilio desumptum, hoc est,

Heu quianam tanti cinxerunt æthera nimbi.

Vbi quia nam *vel interrogativè ponitur, & idem est quod* quare; *vel causaliter ponitur, & idem est quod* quoniam; *vnde mutatur proferendi modus.*

De Fallaciis *intra dictionem* ac primò de *Homonymia*, seu de *Æquivocatione* & eius paralogismis.

Vt vis & natura vniuscuiusq; Fallaciæ melius innotescat, opepreciũ duxi, nõnulla, quæ apud interpretes reperio, in mediũ preferre: ut sic, siquid apud

apud Arist. minus plenè explicatum sit, ab his suppleri quodamodo possit. Inter omnes Fallacias, quæ ex verbis oriri censentur, Homonymia sive Æquivocatio principem locum obtinet: tum quia est inter omnes vulgatissimus & latissimè patens locus decipiendi, ut habetur in 1. cap. huius libri: tum etiam quia in ea reperitur Multiplex actuale; vnde per eam sæpè multumq; falluntur imperiti, iuxta illud.

Erroris mater fuit AEquivocatio semper.

Et quamvis hæc duo etiam in Amphiboliam quadrent, sicut ante dictum est: tamen Homonymiam meritò Amphiboliæ præposuit Philosophus: quia sicut dictio secundum naturam prior oratione cẽsetur: ità Homonymia prior Amphibolià iudicatur: quippe quia illa in dictione, hoc est, in voce simplici, hæc in oratione consistat: ὁμωνυμία idem est quod communitas nominis, & ὁμώνυμον significat idem nomen habens tantum, sed non eãdem significationem. ὁμὸς enim simile vel idẽ, & ὄνομα nomẽ significat. Homonymia definitur hoc modo. Homonymia sivè Æquivocatio est locus Sophisticus, cum dictio sivè vox simplex eadem secundum materiam & formam permanens plura verè significat. Dictio, vt excludantur Amphibolia, compositio & Divisio, quæ in oratione consistunt. Eadem secundum materiam & formam permanens, vt excludatur Accentus, quia in eo non est eadem

Ὁμωνυμία vnde.

Homonymia quid?

eadem forma sivè proferendi modus. Vere, *vt excludatur Figura dictionis. In ea enim dictio non verè, sed apparēter plura significat: neq; in eo repperitur Multiplex actuale aut potentiale, sed Phantasticum tantum, sicut ante dictum est. Hinc Paralogismus Homonymiæ definitur captiosa & Sophistica argumentatio, quæ provenit ex multiplici siuè diversa significatione vnius & eiusdem prorsus dictionis, hoc est vnius secundum materiam & formā. Provenit enim ex eo, quod vna eademq; vox simplex in duabus propositionibus non eodem modo sumatur. Exempli causâ.*

Paralogismus Homonymiæ quid?

Omnis Canis est latrabilis.
Sydus cœleste est Canis.
Sydus cœleste est latrabile.

Vox Canis *Homonymum est, neq; in eadem significatione sumitur in Maiore & in Minore. In Maiori enim sumitur pro animali quadrupede. In Minori verò pro stella eiusdē nominis: vnde in hoc paralogismo, sicut in omni paralogismo Homonymiæ, sunt quatuor termini. Nam* Canis *etsi quoad vocem unicus sit terminus, tamen quoad rē duos continet: siquidem numerus terminorum Syllogismi non ex vocibus, sed ex rebus significatis, sivè ex significatione desumi debet. Vnde talis argumentatio non est* Syllogismus: *quia omnis* Syl*logismus ex tribus tantum terminis constat: quorum quilibet bis sumitur, idq; in eâdem significatione. Hinc patet, quod si Homonymum sivè*

Nota.

Æqui-

Æquivocum in eadem significatione in utrisq; propositionibus sumatur, non efficit Paralogismum Homonymiæ, sed aliquãdo verũ Syllogismum: ut.

Omnis canis est latrabilis.
Lycisca est canis.
Ergo Lycisca est latrabilis.

In qua argumentatione nulla est Homonymia. Unde patet æquivocum in Syllogismo non efficere Paralogismum Equivocationis, nisi æquivoce, hoc est, multis modis sumatur. Preterea cum duplex sit Æquivocũ, æquivocãs & æquivocatũ, notãdũ est Æquivocũ æquivocãs, hoc est, dictionem multa significantẽ, & non Æquivocũ æquivocatum sive significationem æquivocantis paralogismos huius Fallaciæ conficere.

In Paralogismo Homonymiæ ambiguitas aliquando est in Maiori extremo, sicut in primo Paralogismo, qui est apud Arist.

Grammatici μανθάνουσι.
Grammatici sunt scientes.
Ergo scientes μανθάνουσι.

Aliquando in Medio termino: ut in secundo Paralogismo nempe.

τὰ δέοντα sunt bona,
Mala sunt τὰ δέοντα.
Ergo Mala sunt bona.

Aliquãdo in Mi. extremo: sicut in tertio et quarto.

Qui surgebat stat.
Sedens surgebat.

Ergo sedens stat.

Omnis Homonymia (inquit Danæus) in voce inest vel

1 Ex prima impositione hominum, idq; vel ex

1 Consilio hominũ, qui rẽ posterius inuentã alij rei prius factę similem videntes, eam eodẽ nomine cum priori illa appellabãt: Sic statuam hominis propter similitudinem cum homine, appellabant hominem.

2 Casu & contingentia quadã, cum sine vllo consilio res diuersæ vno & eodem nomine primùm & propriè sunt appellatę: vt canis *appellatur & piscis & animal latrabile.*

Ex trãsumptione et Metaphora, quã induxit vsus hominũ, idq; vel propter

1 Rei analogiam: sic analogiã quadam vocationis Iohannes Baptista vocatur Elias, Malac. 4.5. Luc. 1.17. Sic dicitur Elias propheta, currus Israel. 2. Reg. 2.12. &c.

2 Orationis elegantiam: Et hæc species dicitur Homonymia ex Tropo & Metaphora dictionis: Itaq; omnia dictionum σχήματα & figuræ Rhetoricæ, qualis est Antonomasia, Metaphora, Metonymia ad huius Fallaciæ locum & genus pertinent.

Hinc duo sunt generales modi huius Fallaciæ, (quamvis Arist. tertium adijciat, qui tamen tanquam minus communis sub priori continetur) quatuor verò speciales: quorum primi hoc sit exemplũ.

Omne animal vivit.

Quod autem pictum est, est animal.

Ergo

Ergo quod pictum est, vivit.

Animal *in Maiori sumitur univocè, nempè pro corpore sensibili: in Minori verò aequivocè accipitur, nempe pro eo quod effigiem & similitudinem animalis habet: unde illa ratiocinatio ex quatuor terminis constat.*

Simile est illud.

Omnis serpens est corpus animatum.
Quod erectum fuit in deserto, erat serpens. Num. 21.
Ergo quod erectum fuit in deserto, erat corpus animatum.

Item

Omnis vitulus est vivens.
Quod factum est ab AEgyptiis ex auro, erat vitulus. Exod. 32.
Ergo quod factũ est ab Aegyptiis ex auro, erat vivens.

In harum Argumentationum Ma: Serpens *&* vitulus *sumuntur univocè: in Mi: verò aequivocè, pro iis quae habẽt effigiem serpentis & vituli. Secundum exemplum hoc sit.*

Omnis lupus vorat oves.
Quidam piscis est lupus. — Secundi modi exempla.
Ergo quidam piscis vorat oves.

Lupus *in Ma: significat animal terrestre vorax: in Mi: significat animal marinum. Tali cavillo olim usus est Apollo divus vates, ut est apud Herodotum. Nam cum Croesus Lydorũ rex Apollinis*

oraculum, consuluisset de eventu belli, quod cum Cyro Persarum rege habiturus esset, tale responsum ab Apolline accepit.

Perdet Crœsus Halyn trāsgressus plurima (regna.

Sed in illo bello Crœsus eversus est cū omnibus suis copijs: nec tamen illū decepit Apollo. Perdo *enim est homonymū & significat vel* amitto, *in quo sensu accepit Apollo: vel* destruo, *in quo sensu intellexit Crœsus: sed vapulabat, quòd malè sit argumentatus. Sic enim ratiocinabatur.*

Qui perdet plurima regna, victoriam reportabit.

Sed Crœsus perdet plurima regnā.

Ergo Crœsus victoriam reportabit.

In qua argumentatione Perdo *in Ma: significat* destruo: *in Mi: verò significat* amitto. *Notat Cæsarius hunc versum apud Herodotum Græcè integrum non legi, sed apud* Suidam *aliunde haud dubiè repetitum:*

Κροῖσος Ἅλυν διαβὰς μεγάλην ἀρχὴν καταλύσει

Quē Cicero 2. de Divinat. lib. ita vertit, ac latinum reddit.

Hoe exemplum habet Arist. lib. 3. Rhet. ad Theodect. ca. 5.

Crœsus Halyn penetrans magnam pervertet opum vim.

In quo etiam versu (ut notat Glareanus) Amphibolia sivè Ambiguitas reperitur, qui tamē nascitur ex amphibolo & ābiguitate unius dictionis. Crœsus enim eversurus erat magnū imperium, vel Cyri, vel suum. Sed alterum potiùs apud eundem Herodotum.

rodotum oraculũ est eius loci quando Apollo dixit.

Tunc Crœso fugiendum longè, quando
Medis mula regnatura est,

Quod de Cyro verum erat. Nam patre Persa in nullo imperio existente, & matre Meda regis filia natus erat, ut pater asinus, mater equa intelligeretur. Hæc Glareanus. Ad hunc modum multa Hæreticorum argumentationes referri possunt: qualis est illa, quæ ex Sabellianorũ hæresi sũpta est.

Vnum non sunt duo. Danæus.
Pater & filius sunt unum. *Iohan.* 10. 30.
Ergo pater & filius non sunt duo, nempè duæ personæ.

Vnum *dicitur duobus modis.*
1. *οὐσία, id est, essentia: sic sumitur in Minori. Nam pater & filius sunt vnum, id est, unus Deus.*
2. *ὑποστάσει, id est, subsistentia sive persona: sic sumitur in Maiori. Nam duæ personæ non sunt vna persona numero. Sed possunt esse vna quoad essentiam.*

ὑποστάσεως nomen adversus Sabellii errorem inventũ est: vt οὐσίας ad Arrianorum hæresim iugulandam.

Aliud exemplum est à Marcionitis sumptum, qui dicebãt Deum esse autorem mali. Aiunt enim.

Qui facit malũ, mal⁹ est. *Io.* 3. 6. *Ma.* 7. 18.
Deus facit malum: Nam non est malũ in civitate, quod nõ fecit Deus. *Amos* 3. 6.
Ergo Deus (quod absit) malus est.

Malum est duplex.
1. *Pœnæ, quod est inflictum pro peccato: sic sumitur in Minori.*
2. *Culpæ, quod est ipsa improbitas: sic sumitur in Maiori. Et hoc malum Deus non facit, sed fieri permittit.*

Sic Anabaptistæ, qui parvulorum baptismum è medio tollunt, solent ratiocinari.

Soli ii, in quibus est peccatũ, sunt baptizandi. Marc. 1.4.

In infantibus non est peccatum.

Ergo infantes non sunt baptizandi.

peccatum est duplex
- *1. Actuale, & hoc nõ est in infantibus.*
- *2. Originale, & hoc est in omnibus. Conclusit enim Deus omnes sub peccato. Rom. 5.12. & hoc intelligitur in Maiore.*

Item illud.

Imago Dei, non est Deus.

Christus est imago Dei. 2. *Cor.* 4. *Coloss.* 1.

Ergo Christus non est Deus.

Item.

Quod est in forma Dei, non est Deus.

Christus est in forma Dei. *Philip.* 2. 6.

Ergo Christus: non est Deus.

Imago, vel forma duplex est.
- *1. Externa: & sic sumitur imago & forma in utraq; Maiori.*
- *2. Interna & essentialis: & sic sumitur in Minori. Vide Augustinum. lib. 2. contra Maximinum. cap. 5.*

Darii.

Quæ nihil sunt, nocere non possunt.

Peccata & idola nihil sunt. 1. *Cor.* 10. 19.

Ergo peccata & idola nocere nõ possũt.

Nihil *significat vel*
- *1. Negationem simplicem.*
- *2. Meram privationem omnis existentiæ.*

Quæ sunt nihil hoc posteriori modo privationis, quia omninò non sunt, nocere non possunt: & ita in

Maiore

sumitur nihil. *At peccatum & idolum est nihil negativè, id est, non est, quod esse dicitur & fingitur, nempè idolum Deus non est.* Cor. 8. 4. *Neq; item peccatum est naturæ conservatio fœlicitasq; nostra, quod putat ἀκόλαςος, dum peccat.*

Item.

Qui credunt, sunt beati.
Dæmones credunt. *Iacob.* 2.
Ergo Dæmones sunt beati.

Credo vel *significat aliquē*
1. *Credere esse rem: sic Dæmones credunt Deum esse.*
2. *Fiduciam in aliquo ponere: sic qui credit, beatus est.*

Hinc fides sumitur vel pro fide historica, quam Dæmones habent: vel pro fide iustificante, quā soli electi habent.

Tertij modi exemplum hoc sit.

Elias multis sæculis ante Christum vixit. Tertij modi exempla.
Iohannes Baptista fuit Elias. Malac. 4. & Math. 11.
Ergo Iohannes Baptista multis sæculis ante Christum vixit.

Elias *in Maiore propriè sumitur: in Minori verò analogicè: pro eo, qui venit in spiritu & virtute Eliæ: sic Iohan. Baptista fuit Elias. Luc.* 1. 17.

Quarti modi exemplū hoc sit, ac primo ex Metap. Quarti modi exempla. 1 Ex Metaphora.

Quicquid ridet, habet os.
Pratum ridet.
Ergo pratum habet os.

Ridere *in Maiori propriè sumitur: in Minori Metaphoricè*

taphoricè. Tale est sophisma, quo utuntur Anthropomorphitæ hæretici, qui Deo vivo & immortali corpus affinxerũt, cum sit tamẽ ipse Spiritus. Iohan. 4. 24. *Sic enim ratiocinantur.*

Quisquis habet brachium, oculos, &c. est corpus.
Deus habet brachium, oculos, &c.
Ergo Deus est corpus.

Brachium, oculi &c. sumũtur duobus modis.
1. *Propriè, pro partibus corporis: & sic sumũtur in Maiori.*
2. *Impropriè & metaphoricè: & sic sumuntur in Minori. Brachiũ enim Dei potẽtiã: & oculus curã paternã significat, idq; p Metaphorã, quę à Theologis peculiariter vocatur ἀνθρωποπάθεια.*

Item.

Quicquid factũ est peccatũ, est vitiosũ.
Christ⁹ fact⁹ est peccatũ. 2. *Cor. c. 5. v. vlt.*
Ergo Christus (q̃ absit) factus est vitios⁹

Peccatũ sumitur bifariam.
1. *Propriè, pro ipsa improbitate: & sic sumitur in Maiori.*
2. *Impropriè pro sacrificio, quod offertur pro peccato: & sic sumitur in Minori: Sic Aug. lib. 2 contra Maximin. c. 2.*

2. Ex Metonymia. Quot sunt modi Metonymiæ: tot ei unt species paralogismorum, qui ex ea dicuntur: idem de cæteris tropis dicendũ.

Ex Metonymia exemplum hoc sit.

Omne sanum, habet vitam.
Vrina est sana.
Ergo urina habet vitam.

Item.

Omne sanum habet vitam.
Medicamentum est sanum.
Ergo medicamentum habet vitam.

Sanũ *in Maiore ꝓpositione utriusq; argumẽtationis accipitur ꝓprie pro eo q sanitatis vere & formaliter capax est. In Minori vero Metonymicè. Nam in Minori secundæ argumẽtationis sumitur effectivè, nempè pro eo, q efficit sanitatẽ: in prioris Minori sumitur significativè, pro eo scil. quod indicat sanitatem. Prioris huius generis est illud.*

Qui iurat ꝑ salutẽ alicuiꝰ, iurat ꝑ creaturã.

Ioseph iurat per salutem Pharaonis.

Ergo iurat ꝑ creaturã: q nõ est verisimile

Item.

Qui iurat per pavorẽ alicuius, malè facit,

Iacob iuravit ꝑ pavorẽ patris sui Isaachi. *Genes. c. 31. vers. 53.*

Ergo Iacob ea ex parte malè fecit.

Nonnulli asserunt Iosephum superstitione Aegyptiaca cõtaminatum fuisse, cum sic iuraret: quæ opinio est valde probabilis.

Salus & pavor *in Ma. utriusq; argumentationis propriè sumũtur: in Mi. vero tropice, nempè ꝑ Deo qui efficit* salutẽ & pavorem. *Sic Spiritus sanctus aliquando propriè pro tertia persona: aliquãdo pro effectis ipsius sumitur.*

Ex Antonomasia exempla hæc sint.

Ex Antonomasia.

Omnes Pœni nati sunt Carthagine.

Omnes fœdifragi sunt Pœni.

Ergo õnes fœdifragi nati sũt Carthagine.

Hæc vox Pœni *in Ma. propriè sumitur: in Mi. vero Antonomasicè pro eo, qui fidem violat.*

Ex Synecdoche exemplum hoc sit.

4. Ex Synecdoche.

Qui mortuus est, non est Deus.

Christus mortuus est.

Ergo Christus non est Deus,

Christus in minori sumitur pro vna natura Christi, nempe humana: in cõclusione pro vtraq; natura, humana & divina: quãvis & hic paralogismus ad Fallaciam compositionis referri possit.

Quintus modus huius fallaciæ.

Paulus Ab Eitzen aliũ modũ huius Fallaciæ assignat, nempe quando vna vox, seu phrasis in alia doctina seu arte accipit aliam significationẽ, Vt:

Verbum est vox evanescens.
Filius Dei est verbum.
Ergo filius Dei (quod absit) est vox evanescens.

In Maiori est communis et vsitata significatio huius verbi: in Minori verò est significatio Evangelica & singularis, pertinens ad doctrinã de Trinitate, in qua λόγος *seu* verbum *significat personam secundam Divinitatis et filium Dei, essentialem imaginem patris, per quem omnia facta sunt. Hæc ille.*

Huius Fallaciæ Causa
- *1 Apparentia, est cõmunio & vnitas dictionis, quæ facit, vt quis credat vnã esse ipsius significationem.*
- *2 Defectus, est varia & multiplex, hoc est, duplex illius significatio.*

2. De Amphibolia, sivè Fallacia *Ambiguitatis* & ipsius Paralogismis.

SEcundum locum non immeritò obtinet, Amphibolia sivè Fallacia Ambiguitatis propter affinitatem, quã habet cum Homonymia. In vtraq; enim est Multiplex actuale: sed in Homonymia la-

tet

tet ambiguitas in voce simplici sivè in dictione: in Amphibolia verò in oratione: unde Homonymia est dictionis: Amphibolia est orationis diversa significatio. Hinc definitur Amphibolia orationis unius & eiusdē secundū materiā & formā diversa significatio, hoc est, Amphibolia est locus Sophistic⁹, quādo una & eadē prorsus oratio plura significat. Orationis; hinc excluditur Homonymia, Accentus et Figura dictionis, quæ in simplici voce consistunt. Eiusdem secundū materiam & formā. Hinc excluduntur Compositio & Divisio. Oratio enim composita & diversa, quamvis secundum materiam sint eadem: tamen secundum formam & proferendi modum sunt diversa: sicut suo loco patebit. Amphibolia deducitur à Græco verbo ἀμφιβάλλω id est, circumijcio, circundo, circumpono: etiam dubito, ambigo: Componitur ab ἀμφὶ, id est, circū, & βάλλω, id est, iacio: hinc ἀμφίβολος, qui undiq; feritur, item Metaphoricè ambiguus, anceps, dubius. Vt: ἀμφίβολοι λόγοι, ambiguæ orationes: hinc ἀμφιβολία, ambiguitas in sermone: appellatur etiam ἀμφιβολογία, quasi ἀμφίβολος λόγος, id est, ambigua oratio: unde minus accommodatum est illud etymon, quod Aquinas tradit. Is enim Amphibologiam deducit, ab amphi, dubium: buli sententia: & logos, sermo: quasi dicas, dubiam sententiam sermonis: sensum retinens, sed non etymon. Paralogismus Amphibolia definitur captiosa & Sophistica argumētatio, quæ provenit ex multiplici significatione

Amphibolia quid?

Amphibolia unde?

Paralogismus Amphiboliæ quid?

tione unius & eiusdem prorsus orationis. Provenit enim ex eo, quod una & eadem oratio non in eadē significatione in duabus propositionibus sumatur: ut.

Qui malè audit, est surdaster.
Omnis improbus malè audit.
Ergo omnis improbus est surdaster.

Malè audire *in Minori attribuitur ei, qui nō habet perfectum & illæsum sensum auditus: in Mi. verò illi, de quo homines malè loquūtur. Unde illud:* Male audivit, & tamē nō erat surdaster. *Huc pertinet illa argumētatio, quā Pyrrhus Epirotarū rex ex Apollinis respōso cōfecit. Cū enim Pyrrhus oraculū cōsuluisset de evētu belli, q͞ cōtra Romanos, quos potētes videbat, animo destinauerat, Apollo ambiguè respōdit, ut testatur Cic. l. 2. de divinat.*

Aio te Æcida Romanos vincere posse.

Hoc responso animatus Pyrrhus, bellum Romanis movit. Ita enim argumentabatur.

Pyrrhus dictus est, AEcides, quia ab AEaco Achillis avo originem duxit: vide eius vitam apud Plutarchum.

Aio te Æcida Romanos vincere posse.
Ego Pyrrhus sum AEacides.
Ergo ego vincam Romanos.

Sed ei malè argumentanti malè successit. Periit enim ictus tegula percussus, cum Argos cepisset. Responsū Apollinis secundū duplicē Grammaticam constructionem duplicē habet sensum, eumq; planè contrarium. Primo enim sic exponitur.

AEacida, i. Pyrrhe aio te posse (i. q͞ tu possis) vincere Romanos.

Et in hoc sensu interpretabatur Pyrrhus. 2. Secūdo sic

sic exponitur.

Aeacida, aio Romanos posse, id est, quòd Romani possint, vincere te.

Et in hoc sensu accipiebat Apollo: unde plus est in conclusione quàm in præmissis. Ergo ambiguitas in eo consistit, quod Accusativus, te, *ut etiam* Romanos, *nunc ante verbum* vincere, *nūc pòst construi possit. Huius generis erāt oracula ac respōsa Deorū, quibus homines circūveniebāt, ut testatur Polydorus Virgilius. Fallebāt (inquit) pretereà mortales huiusmodi Dæmones amphibologijs nodosis, flexiloquis respōsis, hoc est, ita ambiguis, ut in ambas partes agi possent. Nā ut Crœsus victus est à Cyro rege: ita Pyrrhus à Romanis: quorū uterq; se oraculo superiorem fore sperabat. Hi erant Cacodæmones, quibus homines humanas hostias immolabant. Notandum est, quod si ambigua oratio in eadem significatione in argumentatione accipiatur, non fiet paralogismus. Nā ambigua oratio ambiguè sumpta, hoc est, multis modis accepta efficit paralogismū huius Fallaciæ, sicut prius dictū est de ābigua voce in Fallacia AEquivocationis. Primus modus huius Fallaciæ, quem Arist. tradit in contextu, duos speciales modos cōprehendit. Alter est, quando ambiguitas oritur propter diversam habitudinem constructionum: ut.*

Lib. 5. de inventio. c. 2.

Nota.

Vellē me hostes capere.

Alter est, cū ambiguitas oritur nō propter diversā habitudinē cōstructionū, sed ꝓpter diversā habitudinē con-

cōstructorū: vt: hæc oratio liber Aristotelis *ambigua est, quia denotat vel habitudinem possessionis ad possidentem, vel habitudinem operis ad autorem.*

Ad secundum modū, quē tradit Aristoteles, pertinet sophisma Marcionitarum, qui negāt fore vllam carnis & corporum resurrectionē: sic enim ratiocinabantur.

Hic parologismus ad Homonymiam potest referri.

Caro & sanguis regnum Dei non possidebunt. 1. Cor. 15. 50.

Corpora nostra erunt eadem caro & sanguis, quæ iacuerunt. 1. Cor, 15. v. 53.

Ergo corpora nostra regnum Dei nō possidebunt: et ideò non resurgent

Caro & sanguis *propriè significant substantiam carnis & sanguinis: & sic sumuntur in Minori: Impropriè corruptionem, infirmitatem seu conditionem vtriusq; denotant. Et sic in Maiori accipiuntur. Hæc Danæus. Tale est argumentū Arrianorum, qui asserunt Spiritum sanctum non esse Deum.*

Qui intercedit pro nobis gemitibus inenarrabilibus, non est Deus.

Sed Spiritus sanctus intercedit pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Rom. 8. 26.

Ergo spiritus sanctus non est Deus.

Illa oratio intercedit pro nobis gemitibus inenarrabilibus *in Maiori propriè sumitur: in Minori*

nori tropicè. Nam idem sonat, quod hæc oratio: facit nos intercedere gemitibus inenarrabilib9. *Adest enim, & infundendo charitatem nobis, facit nos intercedere gemitibus inenarrabilibus. sic Augustinus contra Maximinum. lib. 1.*

Item.

Deus non habet patrem.

Spiritus sanctus habet patrem. Nam in nobis clamat Abba, pater. Galat. 4.

Ergo spiritus sanctus non est Deus.

Illa simiter oratio, Clamat Abba, pater, *non propriè sumitur in Minori, sed tropice, id est, facit nos clamare Abba, pater. Vel per quē nos clamamus Abba, pater: sicut habetur Rom, 8.15. sic Augustinus in eodem libro.*

Hoc referri potest ad Homonymiam: quia sermo evāgelii intelligitur in Maiore: sermo legis in Minori.

Item,

Qui diligit Christū, sermonē Dei servat. Ioan. 4.

Nemo sermonem Dei servat.

Ergo nemo diligit Christum.

Illa oratio, servare sermonem Dei, *in Maiori significat amplecti doctrinam Christi formâ, fide & conscientia, & eam profiteri & propagare: in Minori verò significat perfectè legē Dei impleri, quod in hoc vita est impossibile:*

Omnes orationes Allegoricæ ad secundū modum huius Fallaciæ pertinent, quarum plena est sacra scriptura. Vt.

Qui Camelum glutiunt, humanum guttur

tur non habent.

Sed Pharisæi Camelum glutiunt. Math. c. 23.

Ergo Pharisæi guttur humanum non habent.

Camelum glutire *vel propriè significat: vel impropriè & Allegoricè, nempè*, in rebus maximis esse negligentem : *in priori sensu sumitur in Maiori , in posteriori verò in Minori.*

Item.

Qui sunt progenies viperarum, viperis & belluis sunt prognati.

At Pharisæi sunt progenies viperarum, Mat. c. 3.

Ergo Pharisæi viperis & belluis sunt prognati.

Progenies viperarũ *vel propriè sumitur: vel figuratè & proverbialiter , nempè pro homicidis, & homicidarum filijs: in priori sensu accipitur in Maiori : in posteriori vero in Minori:*

Clarcanus.

1 *Vnus de natura sermonis & proprietate linguæ, Vt in his locutionib9*: vellẽ me capere te: Dico Ioannẽ vincere Petrũ, *secundũ Naturã linguæ sensus de priori* Accu*sativo verificatur: atq; ita sensus est, vellẽ me capere te, id est, vt ego caperem te, nõ tu me, Dico Iohannẽ vincere Petrũ, .i. quod Iohannes vincit petrum, non contra.*

In omnibus amphiboli-

oratio

orationibus duo sunt sensus. { 2 Alter coactus & tortus secundum regularitatem Grammatices, sed inusitatam, qui nonnunquam in autoribus invenitur vel ex negligentia, vel quia alter sensus prorsus falsus apparet, ut sensus prędictarũ orationum est: velle q; tu capies me: Dico q; Petrus vincit Johannem.

Prior sensus vocatur compositus, alter verò divisus: cuius exempla sunt hæc. Liv. l.7 ab urbe cõd. Quia Hister Tusco verbo Ludio vocabatur, i. Ludio vocabatur Tusco verbo Hister. Est enim Hister Tuscũ verbũ, non Ludio. Curtius l.5. Bion trãsfuga ad regẽ peruenit, nũciãs murices ferreos in terrã infodisse Darium. Instinus l.18 Nam Romanis eadẽ causa mittendi auxilia Carthaginẽsibus fuerat. Hæc ille. Et prim⁹ sẽsus, qui se lectori offert, est, q; Romani miserint auxilia Carthaginensibus: cũ author cõtrariũ dixerit, q; Carthaginẽses miserint Romanis auxilia. Hæc Glareanus.

Huius Fallaciæ causa. { 1 Apparentiæ, est orationis, unitas, quæ facit, ut quis credat unum esse ipsius sensum & significationem,
2 Defectus est varia & diversa ipsius significatio & sensus.

De Cõpositione & Divisione, sivè Fallacia coniunctionis, & Divisionis nec non de eorum Paralogismis.

INter Fallacias, in quibus reperitur Multiplex potentiale, primum locum obtinet Compositio, sivè Fallacia Coniunctionis. Nam sicut Naturâ com-

cōpositio rei prior est eiusdem divisione: sic composito vocum seu orationum separatione earundē prior censenda est. Et quia Compositionis explicatio magnam cum Divisione affinitatem habet, neq; penè seiungi à seinvicem hi duo loci possint: ideò, quò vtriusq; natura faciliùs & planiùs intelligatur, vtrumq; hoc in loco coniungendum opere precium duxi. Opposita enim iuxta se posita magis elucescūt. Notandū est Compositionem & Divisionē hoc in loco sumi posse pro oratione composita, & oratione divisa: vnde compositio hic non sumitur pro coniunctione vocum, quatenus constructionem, sed quatenus sensū respicit, eumq; non verū, sed falsum. Hinc Lovanienses asserunt compositionem & Divisionem bifariam sumi. Primò pro oratione composita & divisa nulla habita ratione ad alterā harum deceptionū: dicitur autē oratio cōposita, quæ sensum habet cōpositū: divisa, quæ divisum sensum habet. Secundò speciatiùs, ut cōgruāt cōstituēdis his Fallaciis, & respiciant orationē falsā: quo sensu hic utramq; accipiēdā volūt. Cōpositio definitur vnio & coniūctio eorū, quæ uniri & cōiungi non debent: hoc est, locus Sophisticus, quo cōiunguntur non coniungenda, sivè quo proceditur à sensu diviso vero ad sensum compositum falsum. Divisio est separatio eorum, quæ separari non debēt, hoc est, locus Sophisticus, quo separantur nō separanda, sivè quo proceditur à sensu cōposito vero ad sensum divisum falsum. Paralogismus compositi-

Compositio & divisio bifariam accipiuntur.

1

2

Compositio quid?

Divisio quid?

compositionis est captiosa & Sophistica Argumẽtatio, quæ provenit ex multiplici significatione eiusdem orationis quoad materiam tantùm, eò ꝙ proceditur à sensu diviso vero ad sensum cõpositũ falsum. Orationis, hinc excluduntur paralogismi Homonymiæ, Accentus & Figuræ dictionis, ut nonnulli volunt, eiusdem secundũ materiam tantũ, hinc excludũtur paralogismi Amphiboliæ. A sensu diviso &c. hinc excludũtur Paralogismi Divisionis: Hi enim proveniunt à sensu cõposito vero ad sensum divisũ falsũ. Paralogismus Divisionis est captiosa & Sophistica Argumẽtatio, quæ provenit ex multiplici significatione eiusdẽ orationis secundũ materiã tantùm, eò quod proceditur à sensu composito verò ad sensum divisum falsum: Quæ definitio eodem modo intelligenda est, quo definitio Paralogismi Compositionis, nisi quòd in hac dicitur, procedi à sensu composito vero ad sensum divisum falsum: in illa verò, à sensu diviso verò ad sensum compositum falsum. Prior Fallacia vulgo appellatur, Fallacia à benè divisis ad malè coniuncta: posterior autem, Fallacia à benè coniunctis ad malè divisa.

Paralogismus compositionis quid?

Paralogismus Divisionis quid?

Tria sunt genera sẽsus cõpositi & divisi, ad quæ siquæ sunt alia, {
1 Unum in Modalibus Enũtiationibus, in quibus reperitur sensus compositus vel divisus { Ex parte Dicti. / Ex parte Modi.
2 Alterum in iis orationibus, quarũ partes nectuntur coniunctionibus Et, aut vel, aliisue eandem habentibus significationem.

Fonseca ex Aquinate.

facilè revoca-ri possunt, | *3. Tertium in iis, in quibus aliqua dictio potest cum diversis vocibus coniungi.*

1. De primo genere.

Sensus compositus & divisus ex parte dicti. 1

Sensus compositus ex parte dicti *(inquit Fonseca) est cum copula* dicti *nectit formalia significata extremorum: Divisus est, cum nectit formale significatum prædicati cum materiali significato subiecti: verbi causa cum dicimus.*

Possibile est sedentem ambulare:

Si dictiones hæ, sedentem & ambulare, *secundũ formalia significata iunguntur, vt hæc sit enuntiationis sententia.*

Fieri potest, vt sedẽs, cũ sedet, ambulet.

Sensus compositus est, ac falsus: si autem prædicatum (quod semper formaliter accipitur) iungatur cum materiali significato subiecti, vt sensus sit.

Fieri potest, ut qui sedet, aliquando, vel posteà ambulet.

In quibus modalibus locum habeat prior sensus devisus.

Sẽsus est divisus et verus. Notãdũ est, sẽsũ divisũ huius generis non habere locũ, nisi in Modalibus, quorũ dicta constant subiectis cõnotatis. Sola enim dicta cõnotativa habẽt significationẽ materialẽ. Nã *significare rẽ materialiter nihil aliud est, quã illã quasi subiectũ formalis significati cõnotare, q̃ tamen non est simpliciter significare, sed quodamodo: potest autem sensus compositus huius generis sic explicari.*

Posibi-

Possibile est sedentem ambulare,

Id est, hæc propositio est possibilis, Sedens ambulat:

Sensus vero divisus hoc modo explicatur.

Possibile est sedentem ambulare,

Id est, sedens ambulare potest. *In hoc genere confici possunt hi Paralogismi, primò, in composito.*

Quemcunq; possible est album esse, possibile est, vt sit albus.

Sed nigrum possibile est album esse.

Ergo possibile est, vt niger sit albus.

Minor propositio est falsa in sensu composito, ex quo conficitur falsa conclusio. Fieri enim non potest, vt quo tempore aliquis sit albus, eodem sit niger. Secundò, in sensu diviso.

Quemcunq; esse nigrum impossibile est, non potest esse niger.

Sed album esse nigrum est impossibile.

Ergo qui albus est, non potest esse niger.

Minor est vera in sensu cōposito, quia eo tēpore, quo quis est albus, eodē non potest esse niger: in sensu verò diviso est falsa, ex quo sequitur falsa conclusio, quia is, qui iam albus est, potest posteà esse niger.

Sensus compositus ex parte modi *est, cum Modus simul ac semel iungitur cum omnibus dictis, quibus universale dictū exponitur: Divisus verò, cū sigillatim adiungitur singulis: verbi causa, hæc propositio:*

Sensus compositus & divisus ex parte Modi quid.

Contingens est aliquod corpus moveri:

Si exponatur, cōtingens est hoc corpus move-

 ri,

ri, aut illud corpus moveri, aut illud &c. *erit sensus compositus: siquidem cum omnibus simul exponentibus semel tantũ cõiungitur Modus: si vero exponatur hoc modo:* contingens est hoc corpus moveri, aut cõtingens est illud moveri &c. *est sensus diuisus, quia singulis exponentibus seorsim Modus adiungitur. Differũt autẽ hi sensus, quòd prior est falsus: posterior verus. Nã cũ aliquod corpus necessariò moueatur, vt sol, efficitur, ut hac distinctio,* Hoc corpus moveri, *aut* illud corpus moveri &c *sit necessaria, ac proinde non sit contingens. At vero quia corpus aliquod cõtingenter movetur, ut aqua, efficitur, vt verum sit asserere, contingẽs esse, hoc corpus moueri, aut contingens est illud corpus moveri &c. siquidem, qui ita exponit, nõ asserit totam disiunctionem esse contingentem, sed aliquam eius partem, quod vtiq; verissimum est. In hoc genere confici possunt hi Paralogismi, ac primò in compositione.*

Si contingens sit aliquod corpus moveri,
tùm falsum est, quòd cœlum movetur.
At quoddã corpus moveri cõtingẽs est,
Ergo falsum est, quòd cœlum movetur.

Minor est vera in sensu diuiso, et falsa in sensu cõposito: è cõtra Ma: est vera in sensu cõposito, falsa in diviso.

Item.

Si cõtingẽs sit, aliquod corpus esse albũ,
tunc nullũ corpus est necessariò album.
At contingens est corpus esse album.

Ergo

Ergo nullum corpus est necessariò albũ.

Conclusio est Falsa. Nam Nix est necessariò alba. Ergo Minor est vera in sensu diuiso: falsa in sensu composito: In Divisione hic fit Paralogismus.

Si ad videndum necesse est alterũ habere oculum, tunc aut dexter, aut sinister est necessarius:

Sed ad videndum necesse est alterum habere oculum.

Ergo aut dexter, aut sinister necessarius (est.

Minor in sensu composito (nempè vtrumq; oculum coniungendo) est vera: sed in sensu diviso (alterũ præcise intelligẽdo) est falsa: vnde falsa conclusio sequitur.

2. De secundo genere.

Alterum genus sensus compositi & divisi cernitur, ut dictum est, in ijs orationibus, quarum partes nectuntur coniunctionibus Et, *aut* vel, *alijsue eandem habentibus significationem. Cum enim iungunt partes vnius extremi terminivé propositionis, tunc efficiunt sensum compositum, vt:*

Quinq; sunt duo & tria.

Item.

Omnis enunciatio est vera vel falsa.

Et, copulatim vel, disiunctim.

Quo quidem modo coniunctio Et, *dicitur accipi copulatim: & coniunctio* vel, *disiunctim. Cum autem iungunt multas categoricas enunciationes, tunc efficiunt sensum divisum. Vt:*

Quinq; sunt duo: Et quinq; sunt tria.

Item.

Omnis enunciatio est vera; vel, omnis enunciatio est falsa.

Et, copulativè. Vel, disiunctivè.

Quo pacto particula Et, dicitur accipi copulativè: et dictio vel, disiunctivè, Paralogismi in compositione hi sunt.

Omnis numerus, qui componitur ex duobus & tribus, est duo & tria.

Quinq; non sunt duo & tria.

Ergo quinq; non componũtur ex duobus & tribus.

Maior est in sensu composito prædicati: sed in hoc sensu falsa est Minor.

Item.

Si non omne animal est rationale vel irrationale, tum non omne animal est homo vel brutum.

Sed non omne animal est rationale vel irrationale (cum nec omne sit rationale, nec omne sit irrationale)

Ergo nõ omne animal est homo vel brutum.

Minor est vera in sensu diviso: sed est falsa in sensu composito, ex quo sequitur conclusio falsa. Paralogismi in sensu diviso hi sunt.

Quęcunq; sunt duo & tria, sunt duo, Et sunt tria.

Quinq; sunt duo & tria.

Ergo quinq; sunt duo, Et sunt tria.

Minor est vera in sensu composito, sed est falsa in sensu diviso, ex quo colligitur conclusio.

Item.

Omnis propositio est vera, vel falsa.

Sed non omnis propositio est vera.

Ergo omnis est falsa.

Maior propositio est vera in sensu composito, sed est falsa in sensu diviso. Nam non omnis est vera, & omnis etiam falsa.

3. De tertio genere.

Tertium genus sensus compositi & divisi.

Tertium genus sensus compositi & divisi cum dictio aliqua diversis coniungi potest, hoc modo intelligitur: si dictio, quæ pluribus vocibus coniungi potest, copuletur cum ea, cum qua potius videtur iungenda, sensus est compositus: sin cum ea, cum qua minus apte videtur connecti, sensus est divisus: exempli causa.

Quisquis nunc natus verè dicitur, is hac hora natus est.

Tu autem, qui vicesſimum fortaſsis annũ atigisti, nunc verè diceris natus.

Ergo hac hora natus es.

Si particula nunc *in Ma. coniũgatur cũ participio* nat9, *est sensus verus, nec ex eo sequitur falsa conclusio: sin autem ab eo separetur, & referatur ad verbũ* dicitur, *est sensus falsus, in quo sensu sumitur in Mi: unde est paralogismus Divisionis.*

Item.

Quic

Quicquid vi vit ſemper eſt.
Socrates vivit.
Ergo Socrates ſemper eſt.

Si in Maiori ſemper, *coniungatur cum verbo* vivit, *hoc modo:* quicquid vivit ſemper, eſt: *tũ eſt ſenſus verus: ſin ab eo ſeparetur, hoc modo:* quicquid vivit, ſemper eſt, *ſicut ſumitur in Mi, tum ſenſus eſt falſus, ex quo ſequitur falſa concluſio. Unde hic etiam Paralogiſmus ad Diviſionem ſpectat.*

Si quando dictio æquè videbitur cum hac voce, atq; cum illa cõiungi, in tua erit optione poſitum (inquit idem Fonſeca) vtrum velis ſenſum orationi tribuere compoſitum, an diviſum: ut in hac oratione.

Teſtamento quidã iuſsit poni ſtatuam
aurcam haſtam habentem:

In qua, dictio auream, *non videtur magis cum verbo* ſtatuam, *quàm cum verbo* haſtam, *aut contrà copulari. Quanquam mihi (inquit) magis placet, ut huiuſmodi orationes nullum ſenſum diviſum, ſed multos compoſitos habere dicam. Vt enim ſenſus dicatur cõpoſitus, non videtur omninò requiri, vt dictio copuletur cum ea voce, cum qua videtur aptius coniungi: Sed ſatis fortaſſe eſt, ſi cum ea nectatur, cum qua videtur aptè copulari: qua etiam ratione, ſi qua oratio ſuccurrerit, cuius dictio aliqua æquè malè videtur cum hac, atq; cum illa voce coniungi, nullum ſenſum compoſitum, ſed multos diviſos habere iudicanda eſt. Hæc omnia, aut*

certè pleraq; ex Fonseca annotâsse opere precium duxi, qui naturam harum duarū Fallaciarū melius & planiùs, quàm reliqui interpretes, attigisse mihi videtur.

Ad hoc tertium genus pertinet illud, quo Hieronymum Moronum (vt est apud Polanum) Francisci Ducis Mediolani consiliarium decepit Diabolus, qui ab Hieronymo consultus, deberetné legatus ire in castra Cæsariana, tale dedit responsum:

Ibis redibis non eris captivus.

Hic dubium est, an adverbium, Non, *conveniat verbo* redibis, *vt sit sensus:*

Ibis, non redibis, eris captivus.

An verbo Eris, vt sit sensus:

Ibis, redibis, non eris captivus.

Sed priorem sensum verum fuisse euentus ostendit. Nam Hieronymus profectus in castra Cæsariana, captus & crudiliter habitus fuit. Tale est illud Regem occidere nolite timere bonū est.

In hoc etiam tertio genere Hæretici multa Sophismata contexebant, præsertim Arriani, qui negabant Christum esse verum Deum: quorum vnum sophisma hoc est.

Si pater solus sit Deus, tum Filius non est Deus.

Sed Pater solus est Deus. Iohan. 17. vbi Christus sic patrem alloqutur. *Hæc est vita æterna, vt cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti Iesum Christum.*

Ergo

Ergo Filius non est Deus.

Minor propositio duplicem habet sensum. Nam illa vox, solum, *vel coniungitur cum pronomine* te, *vt sensus hic sit,*

Vt cognoscant te solum, Deum verum esse.

Vel cum voce Deum, *vt hic sit sensus.*

Vt cognoscant te, solum Deum verum esse.

In priori sensu illam propositionem accipiunt Arriani, cum sit accipienda in posteriori sensu: vnde Pater est solus Deus verus: sed Pater solus, non est Deus verus: quia etiam Filius est Deus, & etiam Spiritus Sanctus: sic Augustinus contra Maximum lib. 3. cap. 15. Tali Sophismate hoc ipsum probare conantur ex 16. cap. ad Rom. vbi hæc sunt verba:

Soli sapienti Deo, per Iesum Christum.

Vbi vocem soli, *Patri similiter coniungunt, cum potiùs ad vocem* Deo *referenda sit. Similiter depravant illum locum, qui est cap. 8. ad Cor. 1. Vbi hæc sunt verba:*

Nobis tamen unus est Deus Pater, ex quo omnia, & vos in illum &c.

Vbi existimant Apostolum loqui de solo Patre, acsi vnus seu solus Pater sit Deus, cum sensus Apostoli sit, ut ostendat, Patrem esse vnum et solum Deum, sicut ante dictum est, nec excludat Filium

& Spiritum sanctum, sed Deos Gentilium. In hoc etiam genere illud Sophisma conficitur.

Fides sine operibus iustificat. Rom. 4.

Fides sine operibus est mortua. Iacob. 2.

Ergo fides mortua iustificat.

Illud sine operibus, *in Maiore coniungitur prædicato: ut sensus hic sit.* Fides iustificat sine operibus, *i. quoad actū iustificandi opera non concurrunt cum fide: & hic sensus verus est: in Minori verò subiecto coniungitur: ut sic sensus:* Fides, quæ est sine operibus, iustificat. Et *est sensus Falsus: ex quo sequitur falsa conclusio.*

Item.

Sola fides iustificat.

Sola fides numquam est.

Ergo id, quod numquam est, iustificat.

Vox sola, *in Maiori coniungitur cum verbo* iustificat, *ut sensus sit,* Fides iustificat sola, *id est sine adiumento operum: in Minori verò coniūgitur cum voce* fides, *ut sensus sit:* fides, quæ est sola, id est, sine operibus, iustificat: *& hic sensus falsus est, ex quo sequitur falsa conclusio.*

Alium modū Compositionis & Divisionis *addūt interpretes, nempe, cum in præmissis voces dividuntur: in conclusione verò coniunguntur, vel contrà. Atq; hic modus duplex est: unus cum in præmissis reperiūtur duæ simplices voces seperatæ, quæ in conclusione in modum unius dictionis coalescunt vel e contra: ut:* Quartū genus sensus compositi. 1

Israelis

Platæa est res.
Platæa est publica.
Ergo est respublica.

Item.

Israelis, sivè Christianorum est respub.
Ergo res Israelis, sivè Christianorum est publica.

2 *Alius, cum in præmissis reperiuntur duæ voces simplices, quæ in conclusione coniunguntur, non in modum unius dictionis, sed in modum unius significationis ac sensus, quasi unum quoddam significent, vel in modum totius, cum in præmissis ut partes sumantur, vel contra. Vt.*

Apelles est malus.
Apelles est pictor.
Ergo est malus pictor.

Vel

Apelles non est bonus.
Apelles est pictor.
Ergo non est bonus pictor.

Item.

Euthydemus sophista concedit hanc argumentationem apud Platonem. concedit enim Ctesippo patrē suum esse patrē equorum & omnium animalium.

Iste canis est pater.
Et est tuus.
Ergo est pater tuus.

Ad priorem modum pertinet hoc Sophisma.

Paulus damnat ἐθελοθρησκείαν Coloss. 2. 23.
Ergo damnat ἐθελοντὴν θρησκείαν.

Per ἐθελοθρησκείαν significat Religionem voluntariam

tariam

tariam & novum cultum, qui scil à Deo non præcipitur, hoc est, superstitionẽ: per ἐθελοντὴν θρησκείαν intelligit Religionem veram, quæ lubenti animo suscipitur.

Item.

Paulus non dãnat ἐθελοντὴν θρησκείαν.

Ergo Paulus non dãnat ἐθελοθρησκείαν.

Item.

Forma hominis non corrũpitur, nec ipsius materia.

Ergo nec ipse homo.

Item.

Socrates & Plato possũt trahere navim.

Ergo Socrates potest trahere navim.

Paulus ab Eitzen alium adhuc modũ huius Fallaciæ adiungit, nempè, cum citatur sententia Authoris imperfecta, quam Fallaciam solent Iure cõsulti Caluminam *vocare: vt.*

Quintus modus sensus compositi & D. visi.

Iohannes Evangelista dicit *c.* 1. Sine ipso factum est nihil.

Ergo Deus est autor peccati, quia sine eo factum non est.

Est Fallacia Divisionis. Citatur enim sentẽtia imperfecta: Integra sententia hac est.

Sine ipso factũ est nihil, quod factũ est.

Vt excludatur peccatum, *quia factum sivè creatum in rerum creatione non erat. Hunc locum* Arriani *Hæretici ita depravarũt: sic enim legebãt:* sine ipso factũ est nihil. *Verba autẽ, quæ sequuntur.*

tur: Quod factum est, *sequentibus verbis coniunxerunt, hoc modo*: Quod factum est, in ipso vita erat: *unde colligunt duplex esse verbum Dei: unum quod fuit in ipso, nempè Deo Patre, & fuit conceptum: alterum quod fuit in creatione prolatum, et ex eo tempore demum capit esse, quod etiam posteà caro factum est. Illud ipsum est, quod aiunt quidam λόγον esse*

Danaeus.

Duplicem { ἐνδιάθετικὸν. / προφορικόν.

Daneus putat hanc argumentationem pertinere ad Accentum. De hoc loco dispungendo vide August. lib. 5. de Genes. ad lit. c. 14.

Nonnulli huc referunt paralogismos, quos ad Homonymiam ex synecdoche pertinere suprà dictum est: quales sunt hi.

Deus est ubiq;.
Christus est Deus.
Ergo Christus est ubiq;.

Item.

Deus non est mortuus.
Christus est mortuus.
Ergo Christus non est Deus.

In prioris paralogismi Mi. Christus *in sensu diviso sumitur, nempè quoad Divinam Naturam: in conclusione in sensu coniuncto accipitur, nempè quoad utrāq; Naturā. Itē in posterioris Mi.* Christus *sumitur quoad Naturā humanā: in cōclusione quoad utramq; vel potiùs Divinam. Sed*

rectius

rectius huiusmodi paralogismi ad Homonymiam referuntur, sicut ante dictum est. Composita oratio (inquit Caesarius) est, quae habet sensum compositum: Divisa, quae divisum. Porrò compositus sensus est, cum in ipsa oratione partes secundum situm magis debitum intelliguntur. Divisus verò, cum è contra. Rursus autem, debitus partium in ipsa oratione situs is est, quem idiomatis peritus magis talem adiudicaverit. Quod tamē ut facilius deprehendatur, tres ad hoc regulae à Iodoco Clichtoveo traditae sunt, tribus vocabulis à Iacobo Fabro Stapulēsi prius annotatae: quas proinde hic subscribendas haud abs re existimavi.

Compositus sensus quid? Divisus sensus quid?

Vocabula sunt { 1 Modus. 2 Determinatio. 3 Determinabile.

Itaq; ex his prima regula haec est: si Modus fuerit aut subiectū, aut praedicatum propositionis, situs partium orationis magis debitus est: ut.

Prima regula. Sic contra: quando modus determinat verbum, situs orationis est minus debitus. & sensus divisus: ut: hominem possibile est ambulare. Raiianus.

Possibile est sedentem ambulare.

Aut.

Sedentem ambulare est possibile.

Secunda, si determinatio posita inter duo determinabilia, utriq; ex aequo propinqua, praecedens determinavit, situs magis debitus est. ut.

Quicquid vivit semper, est.

Quoniam si non ex aequo utriq; propinqua fuerit: tunc si propinquius determinaverit, sensus magis debitus intelligitur. ut.

Quicunq; scit literas nunc, didicit eas.

3 *Tertia: si determinabile, positum inter duas determinationes vtriq; ex æquo propinquum, cum præcedenti iungatur, sensus cõpositus est, & situs partium orationis magis debitus: vt:*

Vidi imaginem aureã vestẽ habentẽ.

Vbi (inquit Glareanus) vestem, *est determinabile inter duas determinationes* auream & habentẽ. *Sed hæc fortasse paulo obscuriora sunt, quàm ea, quæ priùs ex Fonseca & alijs annotavi.*

Daneus. *Quoties quæ vel reipsâ separari debent à sese, cõiunguntur: vel quæ ratione distingui oportet, confunduntur, atq; inde fit Fallacia, est à compositione. In quo nihil interest, si quæ in vnum coagmẽtantur & connectuntur, reipsâ & loco diduci possunt, sivè non: veluti duo homines, qui sunt individua, separari possunt: vel si animo tantum & ratione distingui possunt, reipsâ autem nequeant seiungi: veluti duæ in Christo naturæ, quæ separari reipsâ non possunt, quia in vna persona vnitæ sunt & coalescunt, ratione tamen distingui & discerni possunt.*

Vtriusq; huius Fallaciæ causa. 1 *Apparentiæ, est vnitas & similitudo orationis compositæ et divisæ; quæ videntur eadem esse.* 2 *Defectus, est diversitas & dissimilitudo earundem.*

De Accentu, sivè fallacia *Accentus* & eius Paralogismis.

Falla-

FAllaciam Accentus inter Fallacias, in quibus reperitur Multiplex potentiale, ideo ab Arist. collocatā esse asserunt Lovanienses, quoniā minor sit in eà apparentiæ causa, quàm in reliquis, licet Dictio, circum quam sit Accentus, prior sit oratione composita atq; divisa. Accentū, quē Græci προσῳδίαν appellāt, sic definiūt Grāmatici. Accentus est pars Grāmaticæ, quæ rectam vocū pronuntiationem tradit: sed in hoc sensu ab Arist. non accipitur. Accentus ergo, ut hic sumitur, est locus Sophisticus idoneus ad decipiendum propter varietatem vocis pronunciandæ, quando scil. una & eadem dictio secundum materiam plura significat: Et Paralogismus Accētus est captiosa & Sophistica argumētatio, quæ provenit ex multiplici significatione unius & eiusdem dictionis quoad materiam, propter multiplicem ipsius accentum, seu proferendi modum. Dictionis, hinc excludūtur Paralogismi Amphiboliæ, compositionis & Divisionis: eiusdem quoad materiam, hinc excluduntur Paralogismi Homonymiæ & Figuræ dictionis. Ubi notandum est, quod, quamvis Homonymia & Accentus magnam inter se habeant affinitatē (utrūq; enim ex eo fit, quod una & eadē di-dictio multis modis in eadem argumentatione accipiatur) tamen in hoc differunt, quod in Homonymia dictio sit prorsus eadem: eadem (inquā) quoad materiam & formam seu proferendi modum: in Accentu verò dictio sit eadem quoad materiam,

Accentus quid? Accentus quomodo hic accipitur?

Homonymia & Accentus quomodo distinguuntur.

 quia

quia iysdem literis & syllabis scribitur, & non quoad formam, accentum seu pronunciandi modum. Quare si naturam huius Fallaciæ verè consyderemus, in ea videbimus non vnam esse dictionem, sed duas distinctas esse dictiones, cū duæ sint distinctæ vtriusq; formæ & accentus. Exempli causa: Malum, *cum pomum significat, & cum improbitatem seu flagitiū significat, non eadem est dictio, sed duæ distinctæ dictiones. Illud enim primam syllabam productam habet: iuxta illud Virgilij Egloga. 3.*

Aurea mala decem misi, cras altera mittam.

Hoc verò primam correptam habet, secundum illud Nasonis.

Cum mala per longas invaluêre moras.

Similiter Populus, *cum arborem significat, & cum plebem seu multitudinem significat, non est vna & eadem prorsus dictio: cum in priori prima syllaba longa sit; vnde Virgilius Egloga. 7.*

Populus in fluviis, abies in montibus altis.

In posteriori verò prima sit brevis, iuxta illud Deucalionis apud Ovidium 1. Metamorphoseωn.

O vtinā possē populos reparare paternis Artibus.

Eadem est ratio reliquarum vocum, in quibus hæc Fallacia locum habet, Quotiescunq; enim tonus,

spi-

spiritus, tēpus, aut modus proferēdi in dictione mutatur, vna et eadē non est censenda, sed diversa, ut:

Malum est fugiendum.

Pomum est malum.

Ergo pomum est fugiendum.

Malum, *in Maiori pro improbitate: in Minori pro fructu arboris accipitur: vnde in hac argumentatione non solum quoad significata, sed etiam quoad ipsas voces quatuor termini reperiuntur.*

Item.

Omnis populus est multitudo hominū.

Quædam arbor est populus.

Ergo quædam arbor est multitudo hominum.

Populus, *in Maiore sumitur pro* plebe: *in Minori pro* arbore. *Simile est hoc. Quidam indoctus medicus legebat in Avicenna:* Recipe carnes mali medici: *& inde mouebat disputationem: Cur mali medici carnes sunt salubriores carnibus boni medici? Sed deceptio est in verbis* mali medici, *id est, pomi citrini. Hoc exemplum potest quodammodo pertinere ad Amphiboliam, quia tota oratio* carnes mali medici, *est ambigua.* Paulus Ab Eitzen.

In Accentu duo sūt consideranda.
1 *Materia dictionis, & multiplex sensus sivè ambiguitas ipsius; & sic videtur idem esse cum Homonymia.*
2 *Forma dictionis & modus proferendi: & sic differt ab Homonymia.*

Huius Fallaciæ sex sunt modi. Primus est, cū in aliqua Primus modus.

 qua

qua argumẽtatione mutatur tonus dictionis. Huius generis duo sunt Græca exempla apud Arist. Huc etiam illud pertinet.

Quem iustum est pendere, iustè suspenditur.
Sed tortorem & etiam iudicem iustum est pendere.
Ergo tortor & iudex iustè suspenduntur.

Pendère *in Maiori habet tonum circumflexum in penultima, & significat* suspendi: *in Minori habet gravem; & significat* pœnam crucis infligere.

Secundus modus.

Secundus modus est, quando spiritus mutatur. vt:

Omnis ara est in templo.
Stăbulum porcorum est hara.
Ergo stabulum porcorum est in templo.

Huc pertinet lepidum illud Catulli epigramma in Arrium quendam:

Vide Quintil. lib. 1. c. 9.

Chomoda dicebat, si quando commoda vellet
Dicere, & Hinsidias Arrius insidias.
Et tum mirificè sperabat se esse locutum:
Cum quantum poterat dixerat Hinsidias.

Huc pertinet & illud.

Qui potuerunt pronunciare *Shibboleth*, non fuerunt occisi à Giliaditis. Iudic.

dic.12.6.

Sed Ephramitæ potuerunt pronunciare *Sibboleth.*

Ergo Ephramitæ non fuerunt occisi à Giliaditis.

Conclusio est falsa: sicut ibidem apparet.

Tertius modus est, cum mutatur tempus, hoc est, quantitas syllabæ. vt: Tertius modus.

Omnis liber est codex.

Qui non est servus, est liber.

Ergo qui non est servus, est codex.

Liber, *in Maiori habet primam syllabam correptam: in Minori verò habet eandem productam.*

Quartus modus est, cum vocalis in dipthongum mutatur, vel è contra. vt: Quartus modus.

Qui habet æquum, habet ius.

Auriga habet equum.

Ergo auriga habet ius.

Item.

Omnis equus est quadrupes

Quidam iudex est æquus.

Ergo quidam iudex est quadrupes.

Polanus huiusmodi paralogismos ad Homonymiam ex Orthographia pertinere putat. Hinc illud: iste dixit æquum, sed alter tulit equum.

Quintus modus est, cum dictio nunc dividitur, nũc integra manet. vt. Quintus modus.

Qui peccat invite, peccat coactè.

Noah peccavit in vite.

Ergo Noah peccavit coactè.

Invitè *in Maiori est vna integra dictio: in Mi-*

nori in duas dividitur.

Sextus modus.

Sextus modus fit ex diversitate pronunciationis assertoria & ironica sivè hypocritica, interrogatoria, & imitatoria. Exemplum ironica hoc sit.

Exemplum Ironiæ.

Qui dicit alicui *Heus bone vir*, illud laudat,
At Pythias apud Terentium dicit Doro: *Heus bone vir Dore.*
Ergo illum laudat, cum reverà illum reprehenderit.

Vox Bone *in Maiori sumitur seriò & assertivè: in Minori verò ironicè. Tale est illud,*

Item.

Nonnulli hos paralogismos ad fallaciam Figuræ dictionis referunt.

Qui dicit Christo, *præceptor, scimus quod verax es, & non curas quemquam, nec respicis personam hominis, sed cum veritate viam Dei doces:* agnoscit Christum, & illum reveretur.
Sed Pharisæi & Herodiani, sic Christo dixerūt. Marc. 12.
Ergo Christum agnoverunt. &c.

In Maiori inest seria assertio: in Minori verò est ironia & hypocrisis.

Item.

Qui dicunt Christo, *Salve rex Iudæorum*: agnoscunt Christum.
Sed Pilati milites dicebant Christo, *Salve rex Iudæorum*. Math. c. 27.
Ergo agnoscebant Christum.

Milites Pilati Christo illud dicebant εἰρωνικῶς.

Nam

Nam illudebant ei, inquit Evangelista.

Multa huiusmodi locutiones in sacris literis reperiuntur. Vt illa Dei Genes. 1.3. Hic nobis factus est similis. *Et Marc.* 7. benè reiicitis pręceptum Dei, vt constitutionem vestram servetis &c.

Exemplum interrogatoriæ orationis hoc sit. Exemplum interrogationis.

Qui dicit Christo, *Tu es rex Iudæorum*, agnoscit Christum esse regem.

Sed Pilatus dixit Christo: *Tu es rex Iudæorum?* Math. c. 27.

Ergo Pilatus agnovit Christũ esse regẽ.

Item.

Qui dicit Christo: *Tu es ille Christus filius benedicti*, agnoscit Christum.

At summus sacerdos dixit Christo: *Tu es ille Christus filius benedicti?* Marc. 14.

Ergo summus sacerdos agnovit Christũ.

Minores horũ Paralogismorũ nõ in modũ assertionis, sicut Maiores, sed in modũ interrogationis proferuntur.

Exemplum imitationis. Exemplum imitationis.

Quod Paulus monet, est faciendum.

Monet Paulus; *Ne tangas, ne gustes, ne cõtrectes, quæ pereunt.* Coloss. 2.21.

Ergo non tangenda, non gustanda, non contrectanda, quæ pereunt.

Quod Paulus monet ex Dei spiritu, quem habebat, illud est conservãdũ, neq; prætermittendũ. Sed quod idem Paulus ait: Ne tangas &c. *non ex sua sed*

ſed ex ſuperſtitioſorum hominum perſona ait, & tantum μιμητικῶς, non autem ἀποφαντικῶς, id eſt, imitative, non adſeveranter. Huic ſimile eſt illud.

Dicit Paulus. Edamus, & bibamus; cras enim moriemur. 1. Cor. c. 15. 32.

Ergo hoc faciendum eſt: ſicut Epicurei faciunt.

Paulus ibi citat dictum Epicureorum: non ſuum. Ad hanc fallaciam illæ locutiones pertinent, quæ ab aliquo modeſtiæ cauſa dicũtur, cum quis ſcil. ſibiipſi minorem laudem attribuit, quàm reuerà meretur: qualem Socratem eſſe refert Plato.

Hic Paralogiſmus ad modum ex ironia pertinere poteſt.

Qui nihil omninò ſcit, eſt penitus rudis & ignarus.

At Socrates dicebat ſe nihil ſcire.

Ergo Socrates fuit penitus rudis & ignarus.

Hoc dixit Socrates modeſtiæ cauſa, non adſeveranter.

Huius fallaciæ cauſa
- *1 Apparentia eſt materialis vnitas dictionis, quæ facit vt videatur vna eſſe ipſius ſignificatio.*
- *2 Defectus, eſt diuerſa ipſius forma, hoc eſt, accentus & proferendi modus.*

De Figura Dictionis, ſivè de Fallacia *Figuræ Dictionis*, & eius Paralogiſmis.

FAllacia Figuræ Dictionis, *inter Fallacias, quæ in verbis conſiſtũt, vltimum locũ occupat: tum*

tum quia (vt inquiunt Lovaniēses) in ea sit Multiplex tantum Phantasticum sive apparens, unde non tanta in ea ambiguitas, quanta in reliquis reperitur: tum quod proximè ad Fallacias extra dictionem accedat, adeoq; illis sit vicina, ut asseverent multi plurimos (ne dicam omnes) huius Fallaciæ Paralogismos ad Accidentis deceptionem pertinere. Hæc Lovanienses. A Figura Dictionis hic locus nominatur (inquit Cæsarius) quòd per eum quicunq; fiunt paralogismi, causam apparentiæ non aliud habeant, quam à vocis siue dictionis cū alia qualibet sivè voce, sivè dictione configuratione, hoc est, vt planiùs dicam, à consimili dictionis cum alia qualibet dictione desinentia sivè terminatione. Hæc Cæsarius. Unde patet Figuram hoc in loco non propriè sumi, nempè pro magnitudine, quæ termino vel terminis clauditur, cum secundum hanc definitionem Figura nihil commune cum dictione habeat, sed hic accipi pro similitudine, quam vna dictio cum alia quadam dictione habet: ita vt sensus hic sit: quod Paralogismi huius Fallaciæ proveniunt ex similitudine vnius dictionis cum alia, aut modi significandi: aut alicuius alius proprietatis. Quod Figura hoc in loco pro similitudine accipiatur, docet Aristoteles in c. 6. huius libri: vbi ostendit hanc Fallaciam oriri propter similitudinem dictionis: verba ipsius hæc sunt. τῶν δὲ παρὰ τὸ σχῆμα, διὰ τὴν ὁμοιότητα τῆς λέξεως: id est, Qui autem paralogismi ex Figura dictionis, propter

Cur hic locus dicitur Figura dictionis.

Figura quid hic significet

propter dictionis similitudinem oriuntur. Hoc etiam docet lib. 2.c. 3. iuxta finem: vbi sic habet. Εἰ δὲ παρ' ὁμοιότητα λέξεως, τὸ ἀντικείμενον ἔσται λύσις: id est, At si ex similitudine dictionis ductū sit argumentum, oppositum erit solutio. Figura dictionis hoc in loco definitur locus Sophisticus idoneus ad decipiendum propter similitudinem vnius dictionis cū alia. Et Paralogismus huius Fallaciæ est captiosa & Sophistica argumentatio, quæ provenit ex similiudine dictionis cum alia dictione: propter quam similitudinem videtur aliqua proprietas ei attribuenda, quæ reverà non attribuitur. Vt si quis putet quod poeta sit generis Fœminini, quia Musa est eiusdem generis. Similem enim vtraq; dictiones terminationem habent: sic formari potest Paralogismus.

Figura dictionis quid?

Paralogismus Figuræ dictionis quid?

Similis & eadem est ratio *Musa* & *Poeta*.
Sed *Musa* est Fœminini generis.
Ergo & *Poeta*.

Dictio quid hic significat?

Similis & eadem est vtriusq; dictionis ratio quoad finalem terminationem, sed non quoad genus et reliqua. Notant Lovanienses nomine Dictionis hoc in loco intelligi etiam & orationē, sivè voce proferatur sivè scribatur: eò quòd hæc Figura & Fallacia iuxtà & æquè competat dictionibus simplicibus seu incomplexis, et complexionem habentibus. Notant etiam ex Neotericis hanc Fallaciam generale esse receptaculum, & quasi publicum diversorium omnium Sophisti-

phisticorum Elenchorum, qualesquales extiterint: Nam omnis Sophistica argumentatio apparentiã suæ bonitatis habet ex similitudine cum alia quadam valida ratiocinatione: quod an rectè (inquiunt) an secùs dictum sit, non duximus discutere.

Similitudo est duplex.	1 *Rerum.*			
	2 *vocũ*	1 Simpliciũ.	*quæ hic accipi videtur.*	
		2 Cõplexarũ.		

Multi sunt modi huius fallaciæ, quorum duo primi ab Arist. traduntur. Primus est, cum diversis vocabulis, quia similia sunt, eadem affectio sivè proprietas Grammatica tribuitur. vt. Primus modus.

Fons est Masculini generis.
Ergo *Frons* est Masculini generis.

Item.

Habeo est secundæ coniugationis.
Ergo & *Abeo* est secundæ coniugationis.

Secundus modus est, cum propter similitudinem dictionis cum dictione tribuitur aliqua Dialectica proprietas: nempè cum verba, quæ pertinent ad diversa Prædicamẽta, videntur ad idem pertinere. Hic modus in duos distribuitur. Nam hoc contingit vel quia eodem modo quoad finalem terminationem desinunt: vel quia sæpè pro eadem re accipiuntur (Hæc enim est altera vocum similitudo) Vt Homo *&* Sanum: Caro *&* crudum *&c. Ex prioribus verbis* Secundus modus. Fonseca.

verbis levia & manifesta sunt omnia huius generis Sophismata, & perinde se habent atq; ea, in quibus eadem Grãmatica proprietas attribuitur propter quandam similitudinem. vt.

Similia sunt *secari* & *operari*.
Sed *secari* est *pati*.
Ergo & *operari* est *pati*.

Item.

Similia sunt *docere* & *videre*.
Sed *docere* est *Agere*.
Ergo & *videre* est agere.

Conclusio vtriusq; Argumentationis est falsa. Nã operari *est* Agere: *et* videri *est* pati. *Omnia enim verba sensuum apud Dialecticos sunt passiva & in Passionis Prædicamẽto reponũtur. Hi enim non terminationẽ sed significationẽ verborum solent consyderare. Ex posterioribus huiusmodi fiũt paralogismi.*

Quicquid emisti, comedisti.
Crudum emisti.
Ergo crudum comedisti.

Plura huius Fallaciæ sophismata recenset Arist. lib. 2. c. 3.

In hoc Paralogismo crudum, *videtur Substantiã significare, cum reverà Qualitatem significet: vnde fit transitus à Substantia ad Qualitatem. Nam in Maiori* quicquid *significat Substantiam, nempè carnem: in Minori transfertur ad Qualitatem, nempè* crudum. *Ergo potius hæc Minor erat assumenda*: sed carnẽ emisti. *Ergo* carnem comedisti.

Item.

Item.

Quos digitos habuisti, cùm puer esses, etiam nunc habes.

Sed tãtillos seu parvos digitos habuisti, cum puer esses.

Ergo tantillos seu parvos etiam nunc habes.

In hoc Paralogismo fit transitus à Substantia ad Quantitatem. Nam in Maiori Quos *denotat Substantiam: in Minori* tantillos *denotat Quãtitatem. Notat Fonseca, cùm de posteriori classe Sophismatum huius secundi generis loquimur, non esse distinguenda Predicamenta secundum rem significatam, sed secundum modum significandi. Omnia enim absoluta vocabula censentur hoc loco Prædicamenti Substantiæ, etiamsi Accidentia significent. Ut:* Res, Homo, Candor: *quia unumquodq; eorum significat suum significatum p modum per se existentis: seu per se stantis (ut aiunt) qui quidẽ est proprius modus existendi Substantiarum: omnia verò connotativa censentur pertinere ad Prædicamenta Accidentium, etiãsi substantiam significent: ut* Bonum, Album, Aureum, *quia significant sua significata per modum adiacentium, sivè existentium in subiecto (qui quidem proprius modus est existendi Accidentium) ac proinde per modum Quantitatis Qualitatis &c. unde fit, ut in hac Argumentatione.* Aquinas.

Quic-

Quicquid heri vidisti, vides hodiè.
Candorem vidisti heri.
Ergo candorem vides hodiè:

Nullus credatur fieri transitus à Substantia *ad Qualitatē: quia vox illa* Quicquid *seu* Quācūq; rem, *quia est absoluta, putatur substantialis, etiamsi sit transcendens. Sic verbum* candorem *est substantiale, etsi qualitatem significet. Si autem hoc modo quis argumentur:*

Quemcunq; hominem vidisti heri, vides & hodiè.
Sed album vidisti heri.
Ergo album vides & hodiè:

Erit Fallacia Figuræ Dictionis, quia fit transitus à Substantia ad Qualitatem. In hac ratiocinatione,

Qualis erat hic annulus heri, talis est hodiè.
Sed aureus erat heri.
Ergo aureus est hodiè.

Nullus censetur transitus à Qualitate ad Substantiam. Nam etsi Aureum *Substantiam significet, tamen hoc in loco potiùs Qualitatem denotat, eò quod Substantiam quasi adiacentem figuræ significet, nec aliter quàm per modum Qualitatis.*

Tertius modus.

Tertius modus est, cum dictio, quæ significat quale aliquid, *hoc est, rem universalem, videtur significare hoc aliquid, id est, rem singularem: aut è contra:*

contra: sivè eò quòd vocabula rei vniversalis & singularis eodem modo desinunt: vt equus *et* Xanthus: *sivè quia sæpè pro eadem re accipiuntur: vt* Homo *et* Socrates: *quò fit, vt, quicquid de altero affirmatur aut negatur, videatur etiam de altero affirmandum aut negandum. Hinc ducuntur huiusmodi Paralogismi.*

Equus est species.
Xanthus sivè Bucephalus est equus.
Ergo Xanthus sivè Bucephalus est species.

Item.

Socrates non est species.
Socrates est homo.
Ergo homo non est species.

Eadem est ratio in vocabulis rerum magis vniversalium, & minus vniversalium. Vt sunt: vivens *et* sentiens, Animal *et* homo. *Vnde huiusmodi fiũt Paralogismi.*

Vivens latiùs patet, quàm animal.
Sentiens est vivens.
Ergo sentiens latiùs patet, quàm animal.

Item.

Animal est genus.
Homo est animal.
Ergo homo est genus.

Sed hæc, et alia plurima sophismata huius loci ad captionẽ Accidẽtis *alia ratione pertinẽt. Ha-*

clentius Fonseca rectè annotavit.

Quartus modus. *Alius modus huius fallaciæ est (inquit Paulus Ab Eitzen) cum ἀκυρολογία, hoc est, absurda & impropria locutio in Argumentatione reperitur. Vt:*

Quicquid non amisisti habes.
Cornua non amisisti.
Ergo cornua habes.

Ἀκυρολογία *in verbo* amisisti *facit ambiguitatem. Significat enim hoc*; Quicquid non amisisti, sivè id adfuit, sivè id non adfuit: *sequitur ergo falsa conclusio. Danæus asserit hanc Fallaciā non solùm propter vocis, sed etiam orationis phrasin & similitudinem committi. Unde ad hanc Fallaciam hunc Paralogismum pertinere ait.*

Loquitur scriptura: *Fac bonum, & fuge à malo.* Psal. 34. 15.
Ergo in nobis situm est facere bonum, et malum fugere.

Decipit (inquit) incautum Figura dictionis, quia similes loquendi formulæ, quæ per Imperativum & & hypotheticum, vt vocant, modum concipiuntur, videntur indicare esse in nostra potestate, illud quod imperatur, quod non est tamen. Est enim Deus, qui facit, vt faciamus bonum, qui dat & Velle, & Perficere. Hebræ. 13. 21. Philip. 2. 13. *Itaque ij soli bonum faciunt, quibus dat dominus, vt faciant. Sic qui existimat personam* patris & Spiritus Sancti *in Trinitate confundi,*

di, quia de vtróque dicitur ἐξ ὅυ. De patre 1. Cor. 8. 6. *De* Spiritu Sancto Iohan. 3. 5. & 6. *fallitur Figura dictionis. Sic etiam qui putãt esse in potestate hostium Ecclesiam, quando & quantum volunt, persequi, quia dictum est,*

Tunc tradent vos in afflictionem & occident vos. Math. 24. 9.

Falluntur: quia hæc forma loquendi non permittit Ecclesiam hostium furori, sed ex sui natura propter doctrinam de Prouidentia Dei limitatur, quando & quantum Dominus ipse voluerit 1. Cor. 16. 7. Isaiæ. 31. *Fallit autem forma ipsa loquendi,* Tradent vos, *quasi sit in potestate infidelium, quid velint, statuere, & agere de nobis, nec sit attendenda Dei voluntas, quæ hæc omnia moderatur, & iis, tanquàm instrumentis, vtitur quantum vult, vltra quam progredi non possunt. Hæc Danæus.*

Eodem (inquit idem Danæus) hoc vitij genere & morbo laborant, qui literarum ordini & syllabarum, aut verborum situi ita religiosè sunt adstricti, vt ad sensum & mentem Scripturæ non attendant, malintq́ue sententiam sacræ Scripturæ contrariam in eo verborum ordine defendere, quàm à syllabarum & vocũ situ, vel hylum, reccedere, cum id tutò, & melius facere possint. Hi penè in Scripturæ interpretatione Iudaizant, cum mordicùs verbis inhæreant & sensum non sequantur. Hoc vitij genere laborant, qui sic arguunt.

Iohannes loquitur hoc ordine de pœnitentia & fide: *Pœnitentiam agite, quia est in propinquo regnum cœlorum*, Math. 3.3.

Ergo pœnitentia præcedit fidem & internam mentis nostræ illuminationē, quæ fit à Dei Spiritu.

Item.

Ait Christus: *Docentes baptizate in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*, Math.28.19.

Ergo prædicatio Evangelii, item etiam fides & doctrina debet præcedere in omni homine baptismum.

Peccant etiam hoc eodem vitio (vt idem Danæus testatur) qui præcisè ijsdem & totidem literis & syllabis scriptum extare volunt, quod docemus congruenter & convenienter analogiæ fidei & menti Scripturæ. Par est enim quid in Scriptura verbis expressis extare, vel quid in ea dici confirmarique per æquipollens. Qui itáque hæc tam expressa scripta requirunt, ex Figura dictionis, cui nimiùm tribuunt, falluntur. Tale est Anabaptistarum sophisma, qui negant pædobaptismum, sivè parvulorum baptismum. Aiunt enim.

Nusquam legitur his verbis expressè dictum in scriptura, *parvulos infantes esse baptizandos.*

Ergo

Ergo non docet Scriptura eos esse baptizandos.

Aliquid continetur in scriptura dupliciter { 1 *Verbis expressis.* 2 *Per ἰσοδυναμίαν, id est, æquipollentiam.* }

Eodem modo solvendi sunt Arrianorum Paralogismi de hac voce Trinitas: *Item Sabellianorum de hac voce* ὑπόστασις *sivè* persona: *item Ariomanitarum de hac voce* ὀυσία *sivè substantia: Item Arrianorum de hac voce* ὁμόσιος, *cum quærunt, extentnè in scriptura.*

Huius Fallaciæ causa { 1 *Apparentia, est similitudo dictionis cum dictione, propter quam quicquid uni convenit, putatur & alteri convenire.* 2 *Defectus, est earum dissimilitudo.* }

ANALYSIS

CAP. 4.

ARGVMENTVM.

EXplicatis locis Sophisticis, *intra dictionem* nempè qui in verbis consistunt & causam suæ apparentiæ *ex voce* accipiunt: iam ad locos Sophisticos *extra dicti-*

dictionem, qui scil. ex rebus oriuuntur, explicandos accedit Arist. Vbi duo potissimum agit. Primò hos locos sivè Fallacias enumerat. Secundò sigillatim vnamquamq; Fallaciam pertractat.

Quot sunt genera sivè species Paralogismorum sivè Fallaciarum extra dictionem?

Septem sunt:

1 Ἓν, παρὰ τὸ συμβεβηκός.
2 Δεύτερον, τὸ ἁπλῶς ἢ μὴ ἁπλῶς, ἀλλὰ πῆ, ἢ ποῦ, ἢ ποτέ, ἢ πρός τι λέγεσθαι.
3 Τρίτον, τὸ παρὰ τὴν τοῦ ἐλέγχου ἄγνοιαν.
4 Τέταρτον παρὰ τὸ ἑπόμενον.
5 Πέμπτον, τὸ παρὰ τὸ ἐν ἀρχῇ λαμβάνειν.
6 Ἕκτον, παρὰ τὸ μὴ αἴτιον ὡς αἴτιον τίθεσθαι.
7 Ἕβδομον, τὸ παρὰ τὸ πλείω ἐρωτήματα ἓν ποιεῖν.

id est:

Vnum ex Accidente.
Secundū, quia simpliciter vel nō simpliciter sed quadantenus, vel alicubi, vel aliquando, vel ad aliquid dicitur.
Tertium ob elēchi ignorantiā.
Quartum ex consequenti.
Quintū, quia sumitur q̄ initio quæsitū fuit.
Sextum quia non causa vt causa ponitur.
Septimū quia multæ interrogationes pro vna accipiuntur.

Quomodo ducuntur Paralogismi ex Accidente?

Cum quidvis postulatum fuerit æquè rei subiectæ & Accidenti inesse: hoc est, quādo subiecto & Accidenti eadem omnia attribuuntur. Cum enim multa in eodem subiecto, cui accidunt, inhæreant, non est necesse & attributis sivè prædicatis, hoc est, Accidentibus, et rei subiectæ eadem omnia convenire. Nam sic omnia erunt eadem, sicut sophistis placet: quo quid absurdius? Exemplum hoc sit.

Et rursum ipsum non esset ipsum. Alber.

Si Coriscus est diversus ab homine, est à seipso diversus: Coriscus enim homo est.
Sed est diversus ab homine, nempe à Socrate.

Ergo

Ergo est diversus à seipso.

Vel

Si Coriscus est diversus à Socrate, est diversus ab homine, quia Socrates est homo.

Sed Coriscus est diversus à Socrate.

Ergo est diversus ab homine.

Censent Sophistę aliquid differre ab aliquo quia differt ab eo, cui illud accidit. vt quia Socrates differt à Corisco putât eum differre ab homine, qui accidit, id est, attribuitur Socrati. Nam verbum *accidere* late sumitur pro *attribui?* Cõclusio potiùs hæc erit. Ergo est diversus ab illo homine, qui est Socrates.

Quomodo ducuntur Paralogismi à Dicto secundum quid *ad* Dictum simpliciter : *vel è contrà, à* Dicto simpliciter *ad* Dictúm secundum quid?

Ex hoc loco seu Fallacia oriuntur Paralogismi, cum id, quod in parte dicitur, vt simpliciter dictũ sumitur: hoc est, quando ita accipitur, quod ex aliqua tantum parte verum est, quasi omninò ac simpliciter verum esset. Exempli causâ.

Aureus mons est in opinione.

Ergo aureus mons est.

Vel è contra.

Aureus mons non est.

Ergo non est in opinione.

Item.

Aliquod ens, nempè lapis, *non est homo.*

Ergo aliquod ens non est.

Respondeo: non idem valere, *Rem esse aliquo modo, sivè aliquid tale*: Et *Rem esse simpliciter & absolutè*. Nam illud quod non est, aliquo modo tamen dicitur esse, nempè in hominum opinione & in animo, cum simpliciter & reverà in rerum naturâ non consistat. Non enim quicquid animus sivè intellectus humanus cogitando sibi fabricat, statim actu & reverà in rerum natura cohæret. Deinde non idem valent : *Rem non esse hoc aut illud*. Et *Rem non esse simpliciter*. Nam lapidem non esse hominem est *dictum secundum quid*

& ex parte: lapidem verò non esse, est *dictum simpliciter*. Vnde illud in Antecedente: hoc in conclusione ponitur. Iam quia maxima est affinitas & similitudo inter ista: *Rem esse aliquo modo*: Et, *Rem esse simpliciter*: *Rem esse hoc aut illud*. Et, *Rem esse omninò ac absolutè*, ita vt vix à seinvicem possint distingui, idcircò vnum ex alio rectè colligi, si non cautè animadvertat, facilè quis, vt credat, adduci poterit. Similiter Paralogismi ducuntur ex eo quòd quadamtenus & simpliciter aliquid dicitur, hoc est, quando id, quod in parte solum aliqua & quodamodo verum est, ita accipietur, quasi simpliciter & omni ex parte verum esset. Exempli caussâ:

Indus, cum sit niger toto corpore, est albus dentibus.
Ergo est albus & non est albus.

In hoc Paralogismo malè colligitur *Indum* esse album, quia est albus dentibus. Non enim sequitur

Indus est albus dentibus.
Ergo est albus.

Nam *album esse dentibus* est *Dictum ex parte, non simpliciter*: vnde hoc ex illo non rectè concluditur: sed potiùs hoc concludi debet:

Indus est albus dentibus.
Ergo est albus quadamtenus, vel ex parte.

Necesse est enim vt *album* in vtraque propositione eodem modo sumatur. Nam aliâs non vnus est terminus, sed duo. Committitur etiam hæc Fallacia, quando arguitur à duobus contrariis, quæ ex parte insunt, & in conclusione colligitur ea simpliciter inesse in aliquo subiecto. Vt.

Pica est alba in pectore.
Est nigra in cauda.
Ergo est alba & nigra.

Conclusio est falsa. Nam duo contraria non possunt inesse simul in eodem subiecto. Respondeo, malè colligi, *picam* esse albam & nigram simpliciter & secundum se totam, ex eo quod sit alba & nigra ex parte. Ergò sic potiùs colligi debet.

Pica est alba in pectore, & nigra in cauda.
Ergo est alba & nigra secundum diversas has partes.

Nam si sic concludatur, nihil absurdi eveniet. Contraria enim accidẽtia possunt inesse simul in eodem subiecto, sed non in eadem parte subiecti.

Num eiusdem generis sunt omnes Paralogismi huius Fallaciæ, cũ concluditur vel contradictoria vel contraria accidentia inesse in eodem subiecto, sicut concluditur in præcedentibus Paralogismis?

Nequaquam. Quidam enim sunt manifesti & faciles cognitu: quidam verò occulti & difficiles intellectu: hoc est, in quibusdam facile est discernere inter *Dictum secundum quid*. Et, *Dictum simpliciter*: in quibusdam verò arduum & difficile. Prioris generis est hic Paralogismus.

Æthiops, cũ niger sit, est albus dentibus:
Ergo est niger & non est niger.

Hanc argumentationem vitiosam esse quivis facilè animadvertere potest: quia malè colligitur Æthiopem non esse nigrum simpliciter, ex eo quòd sit albus & non niger dentibus. *Æthiopem enim esse nigrum*, *est* Dictum simpliciter: sed *AEthiopem esse album, vel non esse ni-*

nigrum dentibus, est dictum *secundum quid*: vnde ex hoc malè illud colligitur. Ergo sic potius concluditur.

Æthiops cum sit niger, est albus dentibus.

Ergo non est niger secundum aliquam ipsius partem.

Quot modis contingit, vt difficile sit paralogismos huius Fallaciæ perspicere?

1 Duobus modis: primò hoc contingit in iis, in quibus, cum quadãtenus dicitur, consequi videtur, vt etiã simpliciter dicatur, hoc est, cum ex *dicto secundũ quid* rectè colligitur *dictum simpliciter*: vt.

Socrates est crispus capillis.

Ergo est crispus.

Item.

Vulcanus est claudus pede.

Ergo est claudus.

2 Secundò contingit, cum aliqua ita alicui conveniant, vt difficile sit perspicere vtrum ex illis simpliciter ac omninò ei attribuendum sit.

In quibus secundum hoc locum habet.

In iis locum habet; in quibus opposita, hoc est, duo contraria accidentia pariter insunt. Tum enim aut vtrumq; aut neutrum simpliciter inesse sivè attribui videtur, à quo illud subiectum denominetur. Vt si dimidium totius cuiusdam sit album, & alterum dimidium sit nigrum: sitne illud nigrum potiùs an album, an vtrumq; aut neutrum appellandum, prorsùs incertum videtur.

3 *Quomodo oriuntur paralogismi ex Fallacia* secũdum ignorationem Elenchi?

Ex eo, quod non est definitum, quid sit syllogismus, vel quid Elenchus: hoc est, ex eo oriuntur, quod ignoratur definitio *Elenchi*, aut aliqua ipsius pars omittitur.

Quid

Quid est Elenchus?

Elenchus est contradictio vnius & eiusdem non nominis sed rei: ac nominis non synonymi, sed eiusdē: quæ ex concessis necessariò colligitur, non connumerato eo, quod in principio quæsitum fuit: & sumitur secundum idem, & ad idem, eodemque modo, & eodem tempore. Eodem autem modo & mentiri de aliquo contingit, id est, contingit, vt videatur quis Elenchum conficere, cum reverà non conficiat.

Num committitur hæc Fallacia ex ignoratione Elenchi *quando omittitur aliqua quæcunq; pars huius definitionis?*

Nequaquam: sed tantum cum omittitur vna ex quatuor vltimis particulis: nempe *ad idem, secundū idem, eodem modo,* & *eodem tempore.*

Ad idem omittitur in hoc paralogismo.

Duo ad vnum sunt dupla, hoc est, bis vnum superant.

Ad tria verò non sunt dupla.

Ergo duo sunt dupla & non sunt dupla.

Secundum idem omittitur in hoc sophismate.

Hic liber secundum longitudinem est æqualis illi libro.

Sed secundum latitudinem non est æqualis.

Ergo est æqualis & non æqualis.

Eodem modo omittitur in hac Argumentatione.

Socrates est sponte doctus.

At non est necessariò doctus.

Ergo est doctus & non est doctus.

Eodem tempore in hoc paralogismo negligitur.

Plato disputat ante prandium.

Non disputat post prandium.

Ergo disputat & non disputat.

In harum conclusionibus videtur esse Elenchus & cōtradictio, cum reverà non sit, quia termini, qui videtur esse

esse contradictorii, reverà tamen huiusmodi non sunt: quia non sumũtur ad idem, secundum idem, eodẽ modo & eodem tempore: sicut dictum est.

4 *Quibus & quot modis fiunt paralogismi*, qui ducuntur ex eo, quod sumitur quæsitum initio propositum? *hoc est*, *qui ex Fallacia* petitionis principii ducuntur?

Iisdem & tot modis fiunt, quibus accidit *petitio principii*: de quibus alibi dictum est.

Num hi paralogismi verè redarguunt?

Nequaquam: sed videntur tantum redarguere.

Qua de causa videntur redarguere?

Quia discerni non potest, quod est idem, & quod diversum.

Vnde oriuntur paralogismi Fallaciæ, cõsequentis?

5 Inde oriuntur, quia nonnulli putant consequentiã, hoc est, Antecedens & consequens reciprocari, & eodem modo argumentũ sequi ab Antecedente ad cõsequẽs, quo à consequente ad Antecedens sequitur, & è contra: cum reverà non ita se res habeat. Non enim sicut posito Antecedente ponitur Consequens: ita è cõtra posito Consequente ponitur Antecedens, sicut nonnulli putant.

Hoc est quod in textu ait, *Quando enim si illud sit, necessario hoc est* &c.

Quot genera Argumentationum traduntur ab Arist. quæ fiunt in hac Fallacia?

Tria: primò illæ argumentationes, in quibus ex sensuum perceptione deceptiones fiunt. Secundò oratoriæ, quæ ex signis ducuntur. Tertiò probationes Syllogisticæ, nempè, quæ videntur legitimè conclusæ, cum tamen non sint. Primi generis duo sunt exempla apud Philosophum; quorum prius sic colligi potest.

Si mel est, flavum est.

Ergo si flavum est, mel est.

Vel sic.

Mel est flavum.
Fel est flavum.
Ergo fel est mel.

Secundum sic colligitur.

Si pluit, terra est madida.
Ergo si terra est madida, pluit.

In priori paralogismo deceptio oritur, quia quis putat *Mel* quod est Antecedens, & *flavum*, quod est ipsius Consequens, inter se reciprocari. In Secundo verò oritur deceptio, quòd quis existimet Antecedens, *pluere*, & consequens, *terram esse madidā*, esse terminos cōvertibiles: cum *flavū* ad plura, quàm *mel*, & *terram esse madidam* ad plura etiam quàm *pluere* extendatur. Multa enim sunt flava, quæ non sunt *mel*: & multis modis potest *terra esse madida* preterquam pluvia, népe ex nivè & aliquo alio liquore superfuso.

Secundi generis est hic paralogismus.
Mæchus sivè adulter solet esse accuratiùs comptus, aut noctu oberrare.
Ergo qui est accuratiùs comptus, aut noctu oberrat, est mæchus sivè adulter.

Ex quo argumēto oritur deceptio, quia hæc consequētia, *accuratiùs comptum*, & *noctu oberrare*, solum adultero convenire putantur, cum aliis etiam conveniant. In tertio genere est Argumentatio Melissi, quo probare conatus est vniversum, hoc est, Ens, ex quo fit vniversum, nempè Mundus, esse infinitum: Colligitur hoc modo.

Quicquid genitum est, habet principium.
Ergo quod genitum non est (vt Ens) principium non habet.

Hinc collegit illud non habere finem: & per consequens esse infinitum. Vniversum esse ingenitum sic probabat. Si genitum est, tum vel ex ente, vel ex non ente: non ex non fit ente (quia non ens nihil est,

est: et ex nihilo nihil fit) non ex ente: quia tum non esset principium.

Hic fuit Melissi discursus: in quo primũ illud Enthymema vitiosum est. Nam in eo sumit *genitum esse*, et *habere principium* esse terminos conuertibiles, *cum habere principiũ* latiùs pateat, q̃ *genitũ esse*. Est enim *principiũ Tẽporis*, et *principiũ Rei*: vide quidquid genitũ est, habet principiũ: sed non è cõtra, quicquid habet principiũ, genitũ est: vndè Argumentũ Melissi nõ magis sequitur, quã hoc:

Si quis febricitat, sivè febri laborat, calidus est.
Ergo si quis calidus est, febricitat.

6 *Quomodo oriuntur Paralogismi Fallaciæ* ex nõ causa vt causa?

Cum assumpta fuerit non causa, quasi ob eam fiat Elenchus, hoc est, in præmissis tale aliquid ponitur, quod videtur esse causa conclusionis Elenchi, cum re verà non sit ipsius causa.

In quibus syllogismis accidit, vt, nõ causa, pro causa *locum habeat?*

In Syllogismis, qui ducunt adversarium ad impossibile. Quoniam in his necesse est refellere aliquid corũ quæ posita sunt, hoc est, vnam ex pręmissis, quæ uidetur esse causa conclusionis Elenchi, cum tamen non sit. Si igitur in necessariis interrogationibus sivê pręmissis ante conclusionẽ acceperis illud, vnde impossibile vel incommodum sequitur, illa sepè videbitur esse causa Elenchi, quæ tamen non est. Exempli causa: si probare velit Sophista, quod non sint idem *Anima* & vita, sumet probationẽ ex eo, quod non est causa, hoc modo,

Nonne Anima & vita sunt idem?

Hypothesis falsa. Fingamus enim per hopothesim Animam & vitã esse idem.

Impossi-

Nonné interitui ortus est contrarius?
Nonné cuidam interitui quidam ortus est contrarius?
Nonné mors est interitus quidam?
Cumq; mors sit contraria vitæ, nonné, si mors est interitus quidã, vita est ortus quidam?
Ergo vita erit ortus, & vivere *erit* oriri sivè generari, *quod est absurdum & impossibile.*
Nam tũ sequeretur, quod quãdiu viveremus tamdiu generaremur.

Impossibile sivè absurdũ

Hac profectò ratione non conclusit Sophista quod volebat. Nam absurda illa conclusio non efficitur ex falsa illa hypothesi, qua *Anima* & *vita* idem esse supponebatur. Si enim inter præmissas illa falsa hypothesis, *Anima & vita sunt idem*, nõ annumeretur, nihilominus tamen sequitur absurda illa & impossibilis conclusio, nempè *vitam* esse *ortum*: et *vivere* esse *generari.* Nam ex reliquis illis præmissis sequitur. Ergo hypothesis illa falsa, qua *Anima* & *vita* idem esse ponuntur, non est causa illius absurdæ cõclusionis, quia nihilominus sequeretur illâ sublatâ, quod non fieret, si vera esset ipsius causa, cum conclusio sine præmissa, quæ est ipsius causa, non sequatur.

Animam & *vitam* non esse idem ex eo intelligimus quod *Anima* sit actus primus, sivè entelechia prima teste Philosopho 2. de Animæ vita autem non sit entelechia prima, sed secunda proveniens ex coniunctione corporis & animæ.

Num huiusmodi Argumentationes omninò ad aliquid efficiendum sivè ad concludendum sunt ineptæ.

Nequaquam: sed propositum non concludunt: hoc est, etiamsi Syllogismi nonnumquam sint, tamen non erunt Elenchi.

Quosnam latent huiusmodi paralogismi: hoc est, quinam iis decipiuntur?

Non solum iis decipiuntur Respondentes, sed etiam interrogantes & Opponentes. Atque hæc sufficiant de

de captionibus, quæ ex *consequente* & ex *non causa* ducuntur.

7 *Quomodo fiunt paralogismi* secundum plures interrogationes?

Cum quis non putat plures esse interrogationes, quæ proponuntur, & ob id quasi ad vnam interrogationẽ vnam accommodat responsionem.

Nam plures Interrogationes sunt vnius & eiusdẽ generis?

1 Nequaquam: quædam enim sunt ita manifestæ, vt quivis possit perspicere eas esse plures; ideò non esse vnicam responsionem illis esse accommodandam. Veluti:

Vtrum terra est mare, an cœlum?

Facilè enim quivis animadvertit hîc duas esse interrogationes, quia duo sunt hîc diversa prædicata: vt:

Vtrum terra est mare?

Et.

Vtrum terra est cœlum?

Quædam verò sunt occultæ, quæ cum reverà plures sint, videntur vna solum esse: ideò Respondens quasi vnica sit interrogatio, vnicam dat responsionem, & admittit huiusmodi, quia nihil habet, quod rectè ad interrgatum respondeat, vndè meritò à Sophistis Elencho redarguitur. Vt si sophista, duobus hominibus demonstratis, interroget,

Num hic & hic est homo?

Huic si Respondens vnicam responsionem, nempè affirmando, accommodaverit, tum statim insurget sophista, & inferet,

Ergo qui hunc & hunc verberat, hominem non homines, verberat.

Conclusio est falsa. Vnde non rectè simpliciter respondit ad eam interrogationem. Ergo potiùs respondendum

Secundũ vulgatã editionẽ sic profertur hoc exẽplum. In ea enim est ἢ οὐρανὸς vel *cœlum*. Sed in quodam manuscripto legitur cum articulo, ἢ ὁ οὐρανὸς: quam lectionem sequitur Alexander, qui ita profert hoc exemplum: *vtrum terra sit mare, an vtrum cœlum sit mare.* Pacius.

dendum erat cum distinctione, hoc modo:

Hic est homo.

Et:

Hic est homo.

Rursum, si Sophista duobus ostensis, nempè virtutibus & vitiis, interroget,

Num hæc sunt bona, vel non sunt bona?

Huic etiam interrogationi siquis simplicem & vnam responsionẽ sivè affirmando, sivè negãdo accõmodaverit, in absurdum incidet, ob quod meritò reprehẽdi videbitur Nam si affirmet esse bona, statim cõcludet:

Ergo vitia sunt bona.

Si rursus neget esse bona, statim inferet:

Ergo virtutes non sunt bona.

Ergo potiùs cum distinctione erat respondẽdum, hoc modo:

Hæc, nempè virtutes, sunt bona.

Et.

Hæc, nempè vitia, non sunt bona.

Fierine potest, si alia quædam assumantur, quàm ea quæ dicta sunt, ut verus & Dialecticus efficiatur Elenchus, quo quis, ad plures interrogationes respondendo, redargui possit.

Maximè: Quod tũ cõtingit, cum quis concesserit vnũ & multa eadẽ ratione dici alba, nuda, cæca: hoc est, si concesserit multa (in plurali numero) eadẽ ratione dici alba, nuda, cęca, qua vnũ (in singulari numero) dicitur albũ, nudũ, cæcũ. Vt cæcũ (in singulari numero) illud dicitur, quod nõ habet aspectũ, cũ sit naturâ cõparatũ, ut habeat, sivè ꝙ nõ videt eo tẽpore, quo naturâ videre debuit: etiã cęca (in plurali numero) ea dicũtur quę non habẽt aspectũ, cũ naturâ sũt cõparata, vt habeãt, sivè quæ nõ vidẽt eo tẽpore, quo naturâ videre debent. Ergo si quis duobus demõstratis, quorum vnũ videt, alterum non videt, interroget: Alberius.

K Num

Num hæc sunt videntia an cæca?

Huic interrogationi siquis simplicem & vnam dederit responsionem, vero & Dialectico Elencho redarguitur. Nam inferet opponens: Ergo ambo erunt videntia, vel ambo cæca: quorum vtrumq; est impossibile. Ergo cum distinctione respondendum erat, hoc pacto.

Hoc est videns.
Et
Hoc est cæcum.

SCHOLIA IN CAP. 4.

1. De Fallaciis *extra Dictionem.*

Septem enumerantur à Philosopho loci sophistici sivè fallaciæ extra Dictionem, *quæ nempè probabilitatis suæ speciem non ex vocibus, sed ex ipsis rebus accipiunt. Quorum nomina hæc sunt.*

Fallacia
1. *Accidentis.*
2. *A dicto secundum quid ad dictum simpliciter, vel è contra.*
3. *Ex ignoratione Elenchi.*
4. *Petitionis principij.*
5. *Consequentis.*
6. *Ex non causa ut causa.*
7. *Secundum plures interrogationes.*

Tot esse fallacias extra dictionem *probat Aquinas*

nus hoc pacto, Accipiuntur (inquit) hæ septem Fallaciæ secundum quasdam entium generales conditiones. Nam Enti *competunt esse per se, & esse per accidens: perfectum & imperfectum: oppositum & non oppositum: idem esse, ac diversum: prius & posterius: vnitas atque multitudo. Ex eo quod est per se & per accidens, desumitur Fallacia* Accidentis: *ex perfecti & imperfecti ratione Fallacia* A dicto secundum quid ad dictum simpliciter. *Ex oppositi & non oppositi consyderatione desumitur Fallacia* Ex ignoratione Elenchi: *Ex eodem & diverso oritur Fallacia* petitionis principii: *Et* Consequentis: *Ex priori & posteriori Fallacia* ex non causa vt causa: *Ab vnius verò & plurium contemplatione Fallacia* Secundum plures interrogationes. *Danæus in opusculo, qui inscribitur,* Elenchi Hæreticorum, *tot esse Fallacias, quæ ex rebus nascuntur, hac ratione confirmat. Cum ex re (inquit) vitium accidit, illud fit tribus modis potissimum & ex vniversum de causis: nimirum,*

Vel quod:
- 1 *Vitiosè interrogant.* — *Hic Elenchus dicitur* Plures interrogationes pro vna.
- 2 *Vitiosè sumitur. Quod fit quatuor modis. Nam sumitur vel*
  - 1 *Accidens pro substantia.*
  - 2 *Non causa pro causa.*
  - 3 *Principium, id est, illud ipsum, de quo quæstio est.*
  - 4 *Consequens pro consequenti.*

 Vitio-

3 Vitiosè concludit, quod fit vel
- 1 A dicto simpliciter ad dictũ secundum quid: vel è contra.
- 2 Quod diversi respectus sensus distinctiones sivè rationes cõfunduntur: id quod ab Arist. Ignoratio Elenchi dicitur.

1 De Fallacia *Accidentis* & eius Paralogismis.

INter fallacias, quæ ex ipsis rebus probabilitatis suæ speciem accipiunt, Fallacia Accidentis primum locum obtinet, tum quod latiùs, quàm reliquæ patet & extẽditur (Fallaciã enim Consequentis tanquam ipsius partem comprehendit, &, vt nonnulli volunt, omnes etiam Paralogismos, qui in Modo & in Figura non concluduntur) tum quod omnium Fallaciarum deterrima & periculosissima censetur; ideòque primò et præ alijs evitanda. Hac enim (inquit Aristoteles) viri docti & scientia quadam præditi ab imperitis hominibus redarguuntur. Fallacia Accidentis est locus Sophisticus *idoneus ad decipiendum, ex eo quòd quis putat idem & subiecto, & Accidenti convenire: Et: Paralogismus Accidentis est captiosa & sophistica argumentatio, quæ provenit ex ratione identitatis vel convenientiæ Accidentis & subiecti, ob quam putatur, quicquid attribuitur vni, etiam alteri attribuendum esse, vel quicquid ab vno removetur, etiam ab altero removendum. Exempli causa.*

Cap. 5.

Fallacia Accidẽtis quid? Paralogismus Accidentis quid?

Tu

Tu es à me diversus.
Ego sum homo.
Ergo tu non es homo.

In hoc Paralogismo, quod ego sum homo, & diversus à te, tibi, à quo diversus sum, accidit. Neq; enim quod ego sum homo, tuã naturam constituit, hoc est, etiamsi à me sis diversus, nihilominus eris tu homo. Tale sophisma apud Aulum Gellium reperitur, quo quidam Dialecticus ex Platonis Diatriba probare conabatur Diogenem non esse hominem: sic enim ratiocinabatur: Albertus. Lib. 18. c. 13.

Quod ego sum, tu non es.
Ego autem sum homo.
Ergo tu non es homo.

Huic Dialectico ad hoc Sophisma facetè admodum respondit: Hoc quidem (inquit Diogenes,) nempè conclusio, falsum est: & si verum id fieri vis, à me incipe. Ac si dixisset, si per Maioris simplicem conversionem argumenteris, hoc modo:

Quod tu es (Diogenes) ego non sum.
Tu autem es homo.
Ergo ego non sum.

Probabis teipsum esse belluam. Naturam huius Fallaciæ interpretes non eodem modo explicant, quia Accidentis *nomine non idem intelligunt. Quidam existimant* Accidens *hoc in loco sumi tantumodò pro Accidente propriè* Quid *Accidẽs* hoc in loco significet? Prima opinio

 dicto,

dicto, nempe quod opponitur Substantiæ : *vnde hi putant hanc Fallaciam tum locum habere, cum non distinguitur inter Substantiam & Accidens, sed putatur omne illud, quod prædicato sivè Accidenti convenit, etiam subiecto huius Accidentis convenire: vnde* Accidens & substantiam *confundunt.*

Secunda opinio.

Alij arbitrantur Accidens *hîc latiùs sumi, nempè non solum pro eo, quod opponitur Substantiæ, sed etiam pro eo, quod est extraneum rei, hoc est, non est de essentia rei, sivè illud sit Accidens sivè Substantia: vnde hi putant hanc Fallaciam tum locum habere, cum non distinguitur inter id, quod alicui rei, convenit, vt Accidens, & illud quod eidem convenit, vt ipsius essentia aut essentiæ pars.*

Tertia opinio.

Alij adhuc latiùs Accidentis *nomen hîc sumptum esse arbitrantur, nempe pro eo, quod non solum non sit de essentia rei omninò, sed etiam pro eo, quod etsi sit de essentia rei, tamen est illi extraneum, quatenus illa res cum aliquo tertio confertur. Vnde hi statuunt*

Lovaniense.

Accidens tribus modis { 1 *Primò pro eo, quod opponitur Substantiæ, quodq; ei post ipsius complementum advenit: & in hoc sensu comprehendit novè vltima Prædicamenta.*
2 *Secũdò pro eo, quod rei advenit, & ad ipsius essentiam non pertinet; in quo significatu omne Inferius respectu* Superioris *potest dici Accidens, quamvis reverà sit Substantia.*

dis

dis accipi. | 3 Tertiò pro eo, quod extraneum est alteri, & non est de ipsius essentia, quatenus ad tertium refertur: in quo sensu non solum Inferius Superioris collatione est Accidens; sed etiam Superius respectu Inferioris: Et sic Accidens hoc in loco sumendum putant.

Nam sicut duo amici, si mutuum eorum amorem, quâ amici sunt, respicias, summâ animorum consensione in omnibus conspirant, tamen si eorum vnus alicui tertio, alteri non faventi, in re aliqua adhæserit, in hoc non omninò conveniunt: sed penitus dissentiunt: sic, quamvis Superius sit de essentia Inferioris, qua ex parte cũ eo consentit, tamen respectu tertij extranei, Accidens ipsius & penitus dissentiens esse solet. Exempli causa: Animal est de essentia Hominis, tamen si ad Quadrupes referatur, est extraneum Homini. Nam homo non est animal, quatenus animal est quadrupes, aut rationis expers: sed quatenus est bipes & rationis capax. Exempli causa.

Animal est quadrupes.
Homo est animal.
Ergo homo est quadrupes.

In quo Paralogismo, sicut in omnibus huius Fallaciæ Paralogismis, tres sunt termini.

Scilicet
1 Accidens.
2 Subiectum.
3 Attributum.

Accidens est Animal: Subiectum est homo: Attri-

tributum est quadrupes. *Hoc enim* Animali *attribuitur, non quatenus animal est homo, sed quatenus ab eo est diversum. In hac opinione constitus est Aquinas. Cuius verba, quamvis prolixiora, ad dilucidiorem tamen huius Fallaciæ & ipsius naturæ explicationem, subiungere operepretium duxi. Sciendum est (inquit) quod* Accidens *hic accipitur secundum quod Inesse dividitur per* inesse per se, *& per* inesse per Accidens. Per se *dicitur aliquid inesse alicui, quod inest ei secundum rationem propriæ definitionis: quod autem præter hoc inest, dicitur inesse per* Accidens: *unde ad hoc, quod est inesse* per se, *aut* per accidens,

Aquinas.

Tripliciter potest aliquid se habere.

1 *Quædam enim sunt, quæ omninò sunt idem secundum rationem substantiæ: ut:* vestis *&* indumentum: *Et in istis est solumodo* per se, *& non* per accidens.

2 *Quædam sunt, quorum unum est omninò extraneum à ratione alterius: ut* album *&* homo: *Et in his est* per accidens, *& non* per se.

3 *Quædam sunt, quorum unum quodamodo pertinet ad rationem alterius, licet non sint eadem definitione: ut* superius *&* inferius. *Nam* superius *ponitur in definitione inferioris, sed non est eadem utriusque definitio. Et in his quodamodo est* per se *& quodamodo* per accidens, *ea ex parte qua conveniunt & differunt.*

Iam in ijs, quæ primò modo se habent, necesse est, ut quicquid est verum de uno, sit verum de altero, eo quòd

quòd talia sint penitus eadem definitione, & differant solum nomine: unde in his non contingit esse Fallacia Accidentis. Sed in reliquis duobus non est necessarium, quòd quicquid est verum de vno, sit verum de altero: Et ideò si ex hoc, quod est verum de vno, concludatur esse verum de altero, est Fallacia Accidentis. Contingit autem aliquando, vt, quod est verum de vno, sit verum de alterò, quando scil. aliquid attribuitur vni, secundum quod est idem alteri: tunc enim ei & alteri convenit: Si verò attribuitur vni, secundum quod est ab altero diversum, non convenit alteri: sicut si Album attribuitur Animali, inquantum est idem homini, tunc oportet quòd conconveniat homini: Si autem est diversum ab homine, non convenit homini: & si concludatur homini convenire, est Fallacia Accidentis: vt si concludatur hoc modo:

Animal est quadrupes.
Homo est animal.
Ergo homo est quadrupes:

Non sequitur: quia quadrupes non prædicatur de animali secundum quod animal est idem homini, sed secundum quod est ab homine diversum. Unde patet, quòd in illo argumento Mediū diversimodè accipitur. Nam in Maiori sumitur, quà est diversum ab homine: in Minori verò, quà est idem homini. Et ideò quando est Fallacia Accidentis, semper est diversa acceptio Medij.

Dici-

Dicitur autem diversa acceptio Medij, quando Medium, quà convenit cum una extremitatum, est diversum ab alia. Hæc Aquinas.

De modis huius Fallaciæ variæ sunt interpretum opiniones: hos tamen tamquam præcipuos esse statuunt, ad quos reliqui, si qui sint, facilè reduci poterint. Primus modus est quando proceditur à Subiecto ad accidens, vel è contra. Vt.

Primus modus

Huc referri potest quælibet argumētatio in qua ab vno prædicamento ad aliud proceditur.

Cognosco Coriscū.
Coriscus est veniens.
Ergo cognosco eum venientem, hoc esse quod venit,

Non sequitur. Quia non cognosco Coriscum quatenus est veniens: Sed quatenus externa ipsius effigies mihi per specta est.

Item.

Cognosco veniētem, hoc est, quod quis venit.
Peregrinus, quem nūquam vidi, est vemens.
Ergo peregrinū, quem numquam vidi, cognosco.

In hoc primo modo conficiuntur hi etiam Paralogismi.

Omnis homo est creatura Dei.
Aliquis homo est malus.
Ergo aliquod malum est creatura Dei,

Item.

Omnes nostræ actiones procedunt à Deo.

Deo.

Aliquæ nostræ actiones sunt peccata.

Ergo aliqua peccata procedunt à Deo.

In vtroq; Paralogismo proceditur à Substantia sivè natura rei ad Accidens. Nam homini, qui est creatura Dei, accidit, vt sit malus: similiter accidit nostris actionibus, quæ à Deo procedunt, ut sint peccata. Non enim homo, quatenus est malus, est creatura Dei: Hoc enim à se habet: Nec actiones nostræ ab eo procedunt, quatenus sunt peccata, sed hoc à nobis sumunt.

Secundus modus est, quando malè argumentamur à divisis ad coniuncta. Vt. Secundus modus.

Porphyrius est malus.

Et est Philosophus.

Ergo est malus Philosophus.

Tertius modus est, quando mutatur genus suppositionis, quod fit cum à vocibus ad res: vel è contra proceditur. Vel cum voces in vna propositione ponũtur significanter, in altera materialiter. Vt Tertius modus.

Animal est genus.

Homo est animal.

Ergo homo est genus.

Item.

Mus rodit caseum.

Mus est sylla ba.

Ergo syllaba rodit caseum.

In prioris Paralogismi Maiori, Animal, *sumitur pro voce, quatenus de pluribus affirmatur: in Mi-*

nori

nori verò pro ipsa re. Sic in posterioris Maiori Mus *significativè ponitur: in Minori verò materialiter.*

Quartus modus.

Quartus modus est, cum id, quod convenit superiori, eodem modo putatur convenire inferiori, vel è contra. Vt:

Proprium animalis est, esse sensibile
Homo est animal.
Ergo proprium hominis est, esse sẽsibile.

Item.

Proprium trianguli est, habere tres angulos duobus rectis æquales.
Figura est triangulus.
Ergo propriũ Figuræ est, habere tres angulos duobus rectis æquales.

Quintus modus.

Quintus modus (vt volunt nonnulli) est generalis, quoties aliqua Argumentatio in Modo aut Figura non concluditur. Vt.

Cuiuslibet cõtradictionis altera pars est vera
Sed hæc propositio, *Homo est lapis*, est contradictionis altera pars.
Ergo est vera.

In hac Argumentatione nulla est universalis propositio. Maior enim, quæ videtur esse universalis, est indefinita: quia signũ universale, Cuiuslibet, *non refertur ad principale subiectum illius propositionis, quod est* pars: *quod in omni universali propositione observari debet.*

Item.

Qui

Qui dicit te esse animal, dicit verum.
Qui dicit te esse asinum, dicit te esse animal.
Ergo qui dicit te esse asinum, dicit verum.

Fonseca scribit tria Sophismatum genera ex Ac-
cidente deduci. Vnum eorum, quæ ideò decipiunt, 1
quod credatur, quicquid convenit aut non con-
venit prædicato essentiali, convenire aut non cõve-
nire subiecto, & è contrariò. Alterum eorum, quæ 2
idcircò fallunt, quod credat quis, omne quod cõve-
nit, aut non convenit Accidenti proprio, convenire
aut non convenire subiecto, & è contra. Tertium 3
eorum, quibus idcircò capiuntur homines, quod pu-
tent, quicquid convenit, aut non convenit Accidẽti
communi, cõvenire, aut non convenire subiecto: vnũ-
quodq; horum trium generum octo species formas-
ve colligendi sub se complectitur.

Aut enim
1 *Quicquid affirmatur de prædicato, videtur affirmãdum de subiecto Vt: venientẽ cognosco Socrates est veniens. Ergo Socratem cognosco.*
2 *Quicquid negatur de prædicato, videtur negandũ de subiecto: vt:* Animal *non est species infima: homo est animal. Ergo &c.*
3 *Quicquid affirmatur de subiecto, videtur affirmandum de prædicato: Vt: Homo est species. homo est animal. Ergo. &c.*
4 *Quicquid negatur de subiecto videtur negandum de prædicato. Vt: Homo est genus. Homo est animal. Ergo. &c.*
5 *De quocunq; affirmatur prædicatũ, videtur affirmandum*

affirmandum subiectum: vt Homo est animal. Equus est animal. Ergo. &c.
6 De quocunq; negatur prędicatum videtur negandum esse subiectū vt: Homo est animal. Homo non est quadrupes. Ergo. &c.
7 De quocunq; affirmatur subiectum, videtur affirmandum esse prædicatum: vt: animal est genus. album est animal. Ergo. &c.
8 De quocunq; negatur subiectum, videtur negandum esse subiectum. Homo est Animal. Equus non est Homo. Ergo equus non est animal.

1 *Aquinas duo præter ea, quæ dicta sunt, in hac Fallacia notatu digna subiungit. Alterum est, Quod nullum inconveniens sequatur, si Paralogismi huius Fallacia pertineant ad Fallaciam* Figuræ dictionis. *Nam quatenus provenit*

Deceptio
- *1 Ex dictionis similitudine, est Fallacia Figuræ dictionis.*
- *2 Ex rerum inconvenientia, sivè dissimilitudine, erit Fallacia Accidentis.*

2 *Alterum est: quod Paralogismi Accidentis non solum fiunt ex propositionibus categoricis, sed etiam ex hypotheticis: ex eo, quòd Mediū diversimodè sumitur, & ad vnam extremitatum comparatū diversum est ab altera. Vt:*

Si nullum tempus est, dies non est.
Si dies non est, nox est.
Ergo si nullum tempus est, nox est.

Huius

Huius Fallaciae causa:
1 Apparentiae est apparẽs debita vnio, aut separatio extremitatum cum Medio.
2 Defectus est insuffiẽs vnio aut separatio extremitatũ cũ medio respectu conclusionis, quae colligitur.

De Fallacia *A dicto secundum quid ad dictum simpliciter*: & è cõtra, & de eius Paralogismis.

V*T natura huius Fallaciae faciliùs perspiciatur, exponendum est, quid sit* Dictum simpliciter: *quid* Dictum secundum quid: *sed antequàm ad vtriusq; definitionem tradendam accessero, primum omnium sciendum est: Eorum, quae de alio enuntiãtur, quaedam purè & simpliciter enuntiari, quaedam secundũ quid, hoc est, ex parte: certo quodam modo & certa tantũ ratione. Purè & simpliciter de alio enuntiantur, quae toti subiecto & simpliciter accommodari possunt.* Vt: sensibile *purè de Animali enuntiatur & simpliciter.* Secũdũ quid *de aliquo enũciãtur, quae etsi de aliquo subiecto enũciantur, tamen vel non de toto, vel non simpliciter sed certa ratione & consideratione, quâ detractâ, falsa apparebit & erit oratio. Vt* Album *de Aethiope enuntiatur secundum quid, & ex parte, non simpliciter & absolutè. Hinc* dictum simpliciter *(secundum Aquinatem) definitur dictum quod nullo addito dicitur: hoc est,* Daraeus. Dictum simpliciter.

quod

quod absolutè sine adiectione, circũstantia, conditione, determinatione, modo, aut limitatione dicitur. Vt: Album esse. Dictum secundum quid *est quod aliquo addito dicitur: hoc est, quod cum adiectione, circumstantia, conditione, determinatione, modo, aut limitatione dicitur: vt:* albũ esse dẽtibus. *Sed vtrumq; hîc pro loco sophistico accipitur.*

Dictum secundum qvid

Nota.

Vbi notandum est vnum idemq; dictum, si ad diversa referatur, aliquãdo vocari Dictum simpliciter: aliquando Dictum secundum quid. Exempli causa: Animal album, *si referatur ad* Animal, *est dictum secundum quid: si verò referatur ad* Animal album dentibus, *est dictum simpliciter.*

Paralogismus huius fallaciæ quid.

Paralogismus huius Fallaciæ est captiosa & sophistica argumentatio, quando proceditur à Dicto simpliciter ad Dictum secundum quid: vel è contrà, à Dicto secundum quid ad dictum simpliciter: vnde etsi hæc Fallacia vna sit ex tredecem, duplicem tamen locum & Fallaciam (sicut Fallacia Compositionis & Divisionis) complectitur.

I *Alter enim est, cum sophista procedit à Dicto simpliciter ad Dictum secundum quid, hoc est, cum ex eo, quod simpliciter & absolutè dicitur, id colligit in conclusione, quod dicitur secundum quid & cum adiectione tantum, idq; vel affirmando vel negando: affirmando: vt:*

Arma deposita sunt restituenda domino.

Ergo sunt restituenda domino furioso.

Ne-

Negando.

Bona non sunt in mare iactanda.

Ergo non sunt in mare iactanda, cum timetur naufragium.

Alter est, cum è contrà pcedit Sophista à Dicto secundum quid ad Dictum simpliciter, hoc est, cum ex eo, quod particulariter & cum adiectione intelligitur, id infert in conclusione, quod universaliter & sine adiectione dicitur: idq; vel affirmando, vel negando. Tales fiunt Paralogismi, si duo illi priores comutentur & invertantur hoc modo. 2

Negando.

Arma deposita non sunt restituenda domino furioso.

Ergo non sunt restituenda domino.

Affirmando.

Bona sunt in mare iactanda, cum timetur naufragium.

Ergo bona sunt in mare iactanda.

Aristoteles in 2 l. Top. c. 1. asserit tria prædicata, nēpè Definitionē, Genus & Propriū non ex parte, sed simpliciter & absolutè inesse vel non inesse suis subiectis: Accidens nonnūquam simpliciter, nonnūquā ex parte inesse suo subiecto: veluti Albedinē & Iustitiā. *Non satis (est inquit) probare inesse Albedinem aut Iustitiam, vt probetur quis esse albus vel iustus: quia fortasse ex parte albus vel iustus est. Ex quibus verbis constat*

hanc Fallaciam non habere locum in tribus illis prædicatis, aut in aliquibus alijs, quæ simpliciter & necessariò suis subiectis insunt: sed solumodò in Accidentibus, non tamen omnibus, sed in ijs tantum, quæ secundum quid suis subiectis conveniunt, aut non conveniunt: neq; in his omnibus, sicut patet ex 2. lib. Top. cap. vltimo. Vbi Philosophus hunc locum esse Dialecticum constituit. Ut ergo intelligatur in quibus locum habeat, illud memoriâ tenendum est, quod Aquinas de hac re scribit. Hoc (inquit) quod additur (intelligit Dictum secundum quid) dupliciter se habet ad illud, cui additur Nam

In quibus locum habet hæc fallacia?

Nota.

Quandoq;

1 Non diminuit de ratione eius, cui additur: & tunc potest procedi ab eo, quod est secundum quid, ad id quod est simpliciter: vt cum dicitur: Iste currit velociter. Ergo iste currit. Velocitas enim nihil diminuit de ratione cursus: Et est in prædicto Argumento locus à parte in Modo.

2 Diminuit aliquid de ratione eius, cui additur: vt cum dicitur. AEthiops est albus dente. Nam hæc determinatio Dente diminuit aliquid de ratione eius, quod est album. Non enim potest dici albus, nisi qui vel totus albus est, vel secundum plures & principaliores partes: & ideò si concludatur: AEthiops est albus dente. Ergo est albus: est locus Sophisticus, & Fallacia secundum quid & simpliciter.

Præterea notandum est, illud, quod additur, sivè Dictum secundum quid, in duplici esse differentia.

Porisma.

Quod

Quoddam enim tollit omninò significata earum vocum, quibus coniungitur, & hoc non tam diminuit, quàm penitus privat. Vt: 1

Hoc cadaver est homo mortuus,

Ergo hoc cadaver est homo.

Quoddam verò non omninò tollit, aut privat, sed ponit quodamodò, sed tamen ex parte, vt in ijs exemplis, de quibus antè dictum est. 2

Deniq; notandum est Accidentia, quæ in parte insunt, aliquando totum denominare. Vt: Nota.

Vulcanus est claudus pede.

Ergo est claudus.

Unde hic non committitur hæc Fallacia. Sed vt intelligatur, quæ sunt illa Accidentia, in quibus locum non habet hæc fallacia, memoriæ mandanda est ea distinctio, quàm Glareanus habet. Glareanus.

Accidẽtia sunt duplicia.

1 *Quædam determinant certam in subiecto partem; ideoq; cum illi insint, sufficiunt ad denominationem totius: vt:* claudum, crispum, simum, mancum, cæcum *& huiusmodi: Et in his non habet locum hæc Fallacia. Rectè enim sequitur.* Catilina est crispus capillis. Ergo est crispus &c.

2 *Quædam non determinant certam subiecti partem: ideoq; si illi insint, non denominant totum subiectum: vt:* AEthiops est albus dentibus. Ergo est albus. *Et in his Accidentibus locum habet hæc Fallacia.*

Omnis denominatio sit vel
1 A parte determinata.
2 A parte maiori & principaliori.
3 A parte principaliori, etsi minori. Ut si quis sit niger facie, denominatur niger.

Nota.

In his tribus locum non habet hæc Fallacia.

Thomas Aquinas.
Primus modus.

Huius Fallaciæ modi hi sunt. Primus est, quando determinatio addita habet oppositionem ad id, cui additur. Vt:

Cæsar est homo mortuus.
Ergo est homo.

Vel:

Iohannes non est homo mortuus.
Ergo non est homo.

Non sequitur: quia esse hominem, *&* esse mortuum, *opposita sunt privativè. Homo enim vitam habet: mortuus verò eâdem caret.*

Huc refertur modus, quando aliqua determinatio addita significat esse in potentia: vt: ovum est animal potẽtia. Ergo ovum est animal.

Item.

Bargulus est iustus latro.
Ergo est iustus.

Vel:

Bargulus non est iustus.
Ergo non est iustus latro.

Secundus modus.

Secundus modus provenit ex eo, quòd determinatio addita pertinet ad actũ Animæ, qui circa entia & non entia versatur: vt:

Aureus mons est in opinione.
Ergo aureus mons est.

Vel:

Aureus

Aureus mons non est.
Ergo non est in opinione.

Item.

Homerus est in hominum memoriâ.
Ergo Homerus est.

Vel:

Homerus non est.
Ergo non est in hominum memoriâ.

Tertius modus est, quando determinatio addita significat partem. Vt: Tertius modus.

AEthiops est albus dentibus.
Ergo est albus.

Vel:

AEthiops non est albus.
Ergo non est albus dentibus.

Quartus modus est, quando determinatio addita significat aliquam circumstantiam. Circumstantiarum autem multa sunt genera, sicut docet Arist. 3. lib. Eth. cap. 1. A Danao Septem numerantur: Quartus modus.

Nimirũ, 1 *Tempus.* 2 *Locus.* 3 *Res.* 4 *Persona.* 5 *Instrumentum.* 6 *Comparatio.* *Modus.*

Temporis exempla hæc sunt.

Expedit merces in mare proiicere, cùm periclitamur, & naufragium timemus.
Ergo expedit merces in mare proiicere.

 Vel:

Vel

Non expedit merces in mare proiicere.

Ergo illud non expedit, cũ periclitamur.

Loci exempla hæc sunt.

Licet mercaturam exercere.

Ergo licet mercaturã exercere in tẽplo.

Vel

Non licet mercaturã exercere in tẽplo.

Ergo non licet mercaturam exercere.

Rei & subiecti exempla hæc sunt.

Bonum eſt ſitienti bibere.

Ergo bonum eſt ei bibere pharmacum, vel acetum.

Vel

Non eſt bonum ſitienti pharmacum vel acetum bibere.

Ergo non eſt bonum ſitienti bibere.

Perſonæ exempla hæc sunt.

In platęa currere licet.

Ergo hoc licet magiſtratui.

Vel

Magiſtratui in platæa currere non licet.

Ergo in platæa currere non licet.

Inſtrumenti exempla hæc sunt.

Pædagogo licet diſcipulum verberare.

Ergo hoc ei licet fuſte & gladio.

Vel

Pædagogo non licet diſcipulum verberare fuſte & gladio.

Ergo

Ergo ei non licet discipulum verberare.

Comparationis sivè respectus exempla hæc sunt.

Fur est melior homicidâ.

Ergo fur est bonus.

Modi exempla hæc sunt.

Laudandus est, qui alios docet.

Ergo laudâdus est, qui alios malè docet.

Deniq; quæcunq; (inquit Danæus) restringendi, explicandi, docendivè tantum gratiâ dicuntur, si purè & simpliciter enunciata esse interpretemur, fit Fallacia ex hoc loco. Vnde fit vt omnis penè falsæ intrrpretationis vitium, ex quo hæresis & error in fide inducitur, ad hunc locum pertineat, debeatq; ex hoc loco solui Fallacia. Sitné aliquid autem purè & simpliciter prolatum in scriptura, an verò secundum quid, & certa tantum ratione & & consideratione docti & eruditi Theologi est iudicare. Hæc Danæus. Ad hanc Fallaciam pertinent hi Paralogismi.

Deus fecit Christum peccatum, 2. *Cor*. 5.

Ergo Deus fecit Christum.

Item.

Lex non est imposita iusto: scil. ad condemnationem.

Ergo lex non est imposita iusto, nempè ad obedientiam.

Item.

Christus non potuit virtutem vllam, hoc est, miracula edere in patria sua propter

auditorum incredulitatem.
Ergo Christus non potuit virtutem vllã sivè miracula edere.

Item.

Christus est vbique, quà Deus est.
Ergo Christus est vbiq;.

Item.

Paulus voluit anathema fieri propter fratres suos secundum carnem: & Moyses voluit deleri ex libro vitæ, potiùs quam Israel periret.
Ergo Paulus voluit anathema fieri: & Moyses voluit deleri ex libro vitæ.

Item.

Iudas habuit fidem pro tempore.
Ergo habuit fidem. Ergo iustificatur.

Item.

Qui persecutionem patiuntur propter iusticiam, consequẽtur regnum cœlorum.
Ergo qui persecutionem patiuntur, consequentur regnum cœlorum.

Notat Fonseca nullum locum sophisticum esse, quo Cacodæmon frequentiùs, quàm hoc ad capiendos homines vtatur. Ex eo enim, quod bona hæc caduca & brevia quædam loco, aut tempore, aut apud quosdam sunt vtilia, iucunda aut magni æstimata, concludit ille ea esse simpliciter bona, atq; omninò amplectenda. Cuius sophismata nemo eludet, nisi qui defixis oculis in omnem futuram æternitatem,

tem, vana hæc, & nullius momēti despexerit. Hæc Fonseca.

Huius Fallaciæ causa { 1 *Apparentiæ, est vnio & similitudo* Dicti simpliciter & Dicti secundum quid, *quâ quis credit vtrumq́ omnino esse vnum & idem.*
2 *Defectus, est eorundem diversitas & dissimilitudo.*

---

3. De Fallacia ex *ignoratione Elenchi*, & eius Paralogismis.

Hæc Fallacia facilius intelligetur, si prius definitio Elenchi explicetur. Duæ definitiones Elenchi ab Arist. traduntur: prior, eáque brevissima, in cap. 1. huius libri tradita, hæc est. Elenchus est Syllogismus cum contradictione cōclusionis: Posterior in hoc c. 4. habetur: prioris brevitatem huius longitudine compensat, vtpote quæ prioris expositionem complectatur. Definitio hæc est: Elenchus est contradictio vnius & eiusdem, non nominis sed rei: ac nominis, non synonymi, sed eiusdem: quæ ex concessis necessariò colligitur, non connumerato eo, quod in principio quæsitum fuit: & sumitur secundum idem, & ad idem, eodémque modo, & eodem tempore. Qua quidem definitione, certum est, nusquam ab Aristotele longiorem traditam esse, idq́ (vt reor) propter importunitates sophistarum, quorum magna turba florebat Socratis, Platonis necnon Aristotelis tempori-

Prior definitio Elenchi.

Posterior definitio.

Cæsarius.

poribus: Cuiusmodi fuêre Protagoras, Gorgias, Hippias, Euthydemus, Dionysodori fratres multiq́ alij, sicut ex multis Dialogis Platonis constat. Hac enim definitione explosæ sunt omnes omnium sophistarum cavillationes: Cuius definitionis explicatio hæc est. Contradictio, *id est, conclusio contradictoria positioni, quam Respondens defendit: vel* Syllogismus *inferens conclusionem contradictoriã ei, quod à Respondente defenditur.* Vnius & eiusdem: *scil subiecti & prædicati secundum nomen & secundum rem eiusdem.* Non nominis, sed rei, *id est, non nominis tantum, sed etiam rei. Nam non satis est ostendere, quòd Elenchus sit contradictio eiusdem vocis, sed etiam eiusdem rei per eandem vocem significatæ.* Ac nominis, non Synonymi, sed eiusdem: *oportet Elenchum esse contradictionem non solum eiusdẽ nominis quoad æquipollentiam, sed eiusdem prorsùs etiam quoad vocem. Vnde si de* Tunica *aliquid esset concludendum, non esset illud (inquit Arist) sub nomine* vestis *concludendum, quamvis fortasse* tunica & vestis *eandem rem significent, sed sub eodem ipso nomine* tunicæ. Ex concessis, *id est, præmissis, quæ concessæ sunt ab adversario Respondente.* Non communerato eo, quod in principio quæsitum fuit: *Vt evitetur petitio principij. Cæteræ particulæ notæ sunt. De ratione Elenchi.*

Raiianus.

Cap. 5.

Glareanus.

Tria

Tria sunt. { 1 Illatio. 2 Probatio. 3 Contradictio.

Hoc est, vt sit Syllogismus verus, dialecticus, & contradictorius. Ratione primæ particulæ ponitur illud in definitione Elenchi, Ex concessis: *Ratione secundæ condicionis ponitur,* Non connumerato necessario: *Ratione tertiæ ponuntur quatuor vltimæ particulæ, nempe,* ad idem, secundum idem, eodem modo, & eodem tempore. *Ratione autem omnium modorum ponuntur ab initio reliquæ particulæ* vnius & eiusdem &c. *Elenchus igitur primò debet concludi in Modo & Figura: Deindè præmissæ debent probare conclusionem: Deniq; Elenchus verè contradicere debet Respondenti. Notandum etiam est quod*

Fallacia ex ignoratione Elenchi duplex est. {
1 *Vna generalis, quando omittitur aliqua particula definitionis Elenchi, quæcunq; demum illa sit. Et hæc continet omnes Fallacias, sicut habet Arist. c. 5.*
2 *Altera est specialis, quando omittitur vel ignoratur vna ex quatuor vltimis particulis definitionis Elenchi: nempè* ad idē secundū idē &c. *Et sic hæc fallacia à cæteris distincta est: quo sensu hic sumitur.*
}

Vnde Paralogismus huius Fallaciæ est captiosa & Sophistica argumentatio, quæ provenit ex ignoratione sivè omissione vnius ex quatuor ultimis particulis definitionis Elenchi, nempe ad idem, secundum idem, eodem modo, & eodem tēpore

Paralogismus huius fallaciæ quid?

pore: *unde quatuor sunt modi huius Fallaciæ:*

Primus modus. *Primus est, quando ignoratur, vel omittitur particula* ad idem. *Vt.*

Ænæas est pater Ascanii, & non est pater Anchisæ.

Ergo Æneas est pater & non est pater.

Videtur hîc esse Elenchus Dialecticus, quia contradictio ponitur in conclusione: sed dicendum est non esse Elenchum omninò, nec aliquam contradictionem reperiri in conclusione. Nam hi termini pater, & non pater *non sunt contradictorij, quia non referuntur ad idem.* Pater *enim refertur ad Ascanium:* non pater *ad Anchisen,*

Secundus modus. *Secundus modus est, quando ignoratur, vel omittitur particula* secundum idem. *Vt:*

Circulus æquinoctialis & Zodiacus sunt æquales secundum longitudinē, non sūt æquales secundum latitudinem.

Ergo sunt æquales & non sunt æquales.

Tertius modus. *Tertius modus est, quando omittitur particula* eodem modo, vt:

Socrates disputat sponte, non disputat coactè.

Ergo disputat & non disputat.

Quartus modus. *Quartus modus est, quando ignoratur, vel omittitur particula* eodem tempore. *Vt.*

Socrates in iuvētute incalescit, in senectute non incalescit.

Ergo incalescit & non incalescit.

In

In primo modo cõficitur illud Sophisma *Praxeæ hæretici, qui negat Filium esse Deum. Ait enim.*

Dicit Deus. *Ego cœlum extendi solus.*

Ergo vnus & solus est Deus pater.

Dictum illud, Deus solus extendit cœlum, *non refertur ad Filium Dei semovendum à creatione cœli, sed ad excludendos falsos Gentiũ Deos. Vnde Pater solus est Deus, si referatur ad falsos Deos: sed Pater solus non est Deus, si referatur ad Filium & Spiritum sanctum: quia vterque etiam est Deus.* Danæus.

Item.

Nobis vnus est Deus, qui est pater ille, 1. Cor. c. 8.

Ergo Spiritus sanctus non est Deus.

In secundo modo hic Paralogismus conficitur.

Christus secundũ humanitatẽ habet matrẽ, sed secundum Deitatẽ non habet.

Ergo Christus habet matrem, & non habet matrem.

In tertio modo fit hoc Sophisma.

Fide iustificamur, operibus non iustificamur.

Ergo iustificamur & non iustificamur.

In quarto modo fit hic Paralogismus.

Fideles tempore legis credebãt Christũ venturum.

Fideles tempore Evangelii non credebant Christum venturum.

Ergo

Ergo credebant & non credebant Christum venturum.

Differt hic locus ex ignoratione (*inquit Danæus*) *à loco superiori* à Dicto secundum quid ad dictum simpliciter: *Quod in superiori Fallacia & Elencho aliquid latiùs vel affirmatur vel negatur in conclusione, quàm erat in præmissis. At in hoc eadem omninò & æquè videntur concludi de eodem, quæ erant in prioribus enuntiatis & propositionibus, sed tamen non eadem ratione.*

Huius Fallaciæ causa
- 1 *Apparentia, est apparens similitudo contradictionis, seu apparens observatio quatuor vltimarum particularum definitionis Elenchi.*
- 2 *Non existentia, est contradictionis defectus vel omissio sivè ignoratio illarum particularum.*

4 De eo, quod in principio petitur, sivè de Fallacia *petionis principij*, & eius Paralogismis.

N*On multus est Arist. in hac Fallacia discutienda, tùm quod alibi eam fusiùs explicaverit, nempè in 2. lib. prior. c.* 12. *&* 8. *Top. c. (iuxta Pacium)* 13. *tùm quod nulla Fallacia sit hac inanior & ineptior. Idem enim saxum, sicut Sysiphus, semper voluit, & eandem cantilenam, non aliter quàm cuculus, semper canit, hoc est, idem per idem in differendo probat; Hinc vulgo vocatur*

hac

hac Fallacia ταυτολογία, *&* Κοκκίσμος, *hoc est, crebra & inanis eiusdem repetitio, & Cuculi cantus: quã homines, non secus quàm Crambem bis coctã, debent evitare. De inscriptione, seu nomine, quo hac Fallacia appellatur, interpretes non conveniunt. Quidam enim eam vocant Fallaciam* secũdum petitionem principii: *Alij, Fallaciam* eius, quod est in principio petitum: *Alij deniq;* 1 2 3
eam appellant Fallaciam eius, quod est ex principio. *Et quãvis non multum referat, quæ inscriptio ex his tribus huic Fallaciæ attribuatur, modò natura ipsius rectè intelligatur: tamen si exactè has inscriptiones velimus perscrutari, videbimus secundam Philosopho magis consonam fore. Habet enim Arist. c. 4. huius li. c. 12. lib. 2. Prior & c. 18. 8. Top.* τὸ ἐν ἀρχῇ αἰτεῖσθαι καὶ λαμβάνειν, *hoc est*, petere & sumere quod est in principio, sivè in quæstione positum & probandũ: *& non,* τὴν ἀρχὴν αἰτεῖν καὶ λαμβάνειν, *hoc est*, petere & sumere principium. *Petere aut sumere quod in principio quæsitum fuit, nihil aliud est (teste Philosopho) quàm non demonstrare propositum, hoc est, sumere rem pro concessa, quæ controversa est: quod fit, cum quis probat aliquid per id, quod per se neq; manifestum adhuc neq; concessum est, sed vel obscurum vel dubium. Vnde per* principium *hic intelligendum venit* principale propositum, *quod erat probandum, hoc est,* Conclusio, *quæ in initio proponitur, vt ad eam dirigatur*

Petere id quod in principio quæsitũ fuit quid?

Danæus.

Principium quid?

Paralogismus huius fallaciæ quid?

tur probatio. Hinc Paralogismus huius Fallaciæ, est captiosa & Sophistica Argumentatio, quæ ex eo provenit, quod illud petitur sivè sumitur, quod in principio propositum fuit, ad aliquid probandum, quòd illud, de quo controvertitur, sumitur pro concesso ad rem aliquam confirmandam vel refellendam.

Danæus.

Quod petitur postulaturq́; cōcedi ad rei, de qua quæritur, probationem, illud est, vel

- *Idipsum, de quo agebatur, quod tamē sumitur vel*
  - 1 *Iisdē omninò verbis.*
  - 2 *Mutatis verbis.*
- *Aliud et diversum, nēpè vel*
  - 1 *Verbis tantum, re tamē idem: id quod fit, si petitur vel*
    - 1 *Equipollens rei, de qua agitur.*
    - 2 *Totum eius concedi, cuius rei proposita & controversa, pars est.*
  - *Re & verbis aliud & diversum. Sed tamen id petitur concedi, quod est vel*
    - *Obscurum*
      - *Æquè*
      - *plus quā quæstio ipsa.*
    - *Incertum.*
    - *Posterius naturâ*
      - *Æquè*
      - *plus quā quæstio ipsa.*

Arist. in 2. poster. cap. 18. asserit postulari sivè peti id, quod est in principio, quatuor modis.

1. *Quando omninò non concluditur.*
2. *Quando per ignotiora cōcluditur.*
3. *Quando concluditur per æquè ignota.*
4. *Quando concluditur per posteriora.*

Ubi

Ubi, per omninò non concludi *Faber* Stapulẽ*sis intelligit, cum non* S*yllogismus, sed asyllogistica & incollectilis ratiocinatio fuerit. Albertus verò cum suis sectatoribus arbitratur tum* omninò non concludi, *cum idem sub eodem prorsus nomine ad sui probationem adfertur: quam quidem principij petitionem vocat* petitionẽ Statim, *hoc est, apertissimam: vnde Aquinas existimat hanc Fallaciam non peccare contra vim illatiuam, sed contra probationem argumenti: vt siquis hoc modo ridiculè ratiocinetur.*

Omnis homo est homo.
Sed omnis homo est homo.
Ergo omnis homo est homo.

Secundi modi exemplum hoc sit, quod Albertus tradit.

Stellæ meridionales secundum maiorẽ circuli portionem supra horizontẽ apparent, quam Aquilonares.
Ergo stellæ meridionales Aquilonaribus sunt velocioris motus. Nam hoc illo est notius.

Tertij modi exemplum hoc sit.

Omnis equus est hinnibilis.
Ergo omnis homo est risibilis.

Quarti modi exemplum hoc est.

Omne risibile est capax disciplinæ.
Ergo omnis homo est capax disciplinæ.

Aristoteles 8. lib. Top. ait id, quod in principio, peti quinq; modis.

Primò, & manifestissimè, cum idē ad sui probationem adfertur, & hoc contingit bifariam: vel

1 Cum nomine & re idem ad sui probationem adfertur: atq; hic minùs latet.

2 Cum idem re, sed non nomine ad sui probationem sumitur. Vt: gladius est instrumentū bellicum. Ergo & ensis.

2 Secundò, cū id, quod in parte probari debet, uniuersaliter aliquis petit vel sumit. Vt si quæstio sit, an ægri & sani sit eadem scientia? et aliquis sic ratiocinetur. Contrariorum est eadem scientia. Ergo ægri & sani est eadem scientia.

3 Tertio, cum quis in parte postulat, quod universaliter probare instituerat. Vt: Nonné ægri & sani est eadem scientia? Ergo contrariorum est eadem scientia.

4 Quartò, cum problema dividitur, et seorsim vtrumq; membrum divisionis postulatur. Vt si quæstio sit, an Medicina sit scientia salubrium & insalubrium? & quis petat, Nonné Medicina est scientia salubrium? Nonné Medicina est scientia insalubrium? Is postulat, quod in initio quæsitum fuit.

5 Quintò, si quis alterum eorum, quæ reciprocantur, postulet ad probandum alterum. Vt: si quæstio sit, An latus quadrati habeat cōmunē mensuram cum diametro eiusdem? & quis hoc petat, Nonné Diameter quadrati habet communem mensuram cum latere? idem petit.

His modis æ- sium adiicit Paulus Ab Eitzen: quādo scil. citatur autoritas quæ fallere potest. Vt Heraclytus dixit omnia moveri. Ergo hoc verum est.

Vbi notandum est hos quinq; modos ad quatuor illos enumeratos posse reduci. Nā primus ex his reducitur ad primum: secundus, tertius, & quartus ad secundum: quintus ad quartum.

Obiectio.

Obiectio.

Definitio ad confirmationem definiti in Demōstratione accipitur: sæpè etiã ex toto partes. sæpè ex partibus totũ, & ex altero Relatorũ alterũ concludimus in argumẽtationibus Dialecticis. Ergo aut hi modi petitionis principij nō efficiunt reverà syllogismum sophisticũ, aut certè multæ Demonstrationes multiq; syllogismi Dialectici in sophisticis numerãtur. Fonſecã

Solutio.

Non omnibus hisce modis petitur principiũ ex natura rei, sed solùm cum synonyma ad confirmationem synonymorum accipiuntur. Nam, quòd ad reliquos attinet modos, Definitio notior est re, quæ definitur, itemq; totum quadam ratione notius est suis partibus: Alia verò ratione partes notiores sunt quàm totum, & ea, quæ sese mutuò respiciunt, quodammodo seinvicem declarant & patefaciunt. At verò apud eum, cum quo disputatio transigitur, sæpènumerò datur vitio, quòd hisce modis conclusio probatur, cum vz. ipse Respondẽs significat, nota sibi esse rei definitionem, totũ &c. Ex hoc enim efficitur, vt cum Dialecticus ex datis ab altero argumentari debeat, meritò dicatur principium petere, *qui aliquo ex his modis apud eiusmodi hominem argumentatur. Adeò enim est importuna huiusmodi probatio, vt, q sic cōcludit, cōclusionẽ ipsã gratis petere videatur. Itaq; hi modi petẽdi principiũ nō sunt vitia ex ipsa argumẽtationis naturâ, sed ad* hominẽ, *vt dici solet, hoc est, apud*

pud eum Respondentem, qui ita affectus est, ut diximus. Hæc Fonseca.

Lovanienses.

Huius Fallaciæ causa	*1 Apparentia, est apparens diversitas, vel maior cognitio assumpti & illati.* *2 Defectus, est unitas, aut minor vel æqua cognitio assumpti et illati in legitima argumentatione facta.*

Nota. *Ubi notandum est Paralogismos huius Fallaciæ non peccare quoad illationem, sed tantum quoad probationem deficere.*

5. De Fallacia *Consequentis* & eius Paralogismis.

QVamvis Sophista videatur Dialecticum imitari, tamen non evadit Dialecticus. Hic enim aptè et appositè antecedentia cum consequentibus, & è contrà, consequentia cum antecedētibus coniungit: eáq;, si opus fuerit, accommodatè separat & seiungit: Hoc ipsum conatur Sophista, sed nequit præstare. Nescit enim modum hæc ritè coniungendi: nescit rationem hæc eadem distinguendi. Hinc loco à Consequente, *à quo aliâs Dialecticæ & legitimæ differendi rationes deducuntur, pravè & perperàm abutitur; ex quo fucatas ratiocinationes ad imperitos homines irretiendos depromit: quarum natura faciliùs intelligetur, si* Antecedētis & Consequentis *definitio ob oculos proponatur.*

Antecedens & Consequēs quid? *Antecedens est (inquiunt Lovanienses) quod ex necessitate, probabilitate, aut suspicione quadam aliud infert. Consequens est,*

quod

quod simili modo infertur. Hoc est, Antecedens est, quo posito aliud (I. consequens) ponitur, sed quod non ponitur, alio posito: Consequens est, quod ponitur alio (I. Antecedente) posito, sed quo posito, aliud non ponitur. Nam posito Antecedente ponitur Cōsequens: sed non e contra. Vnde omne illud, quod est prius Naturâ, & à quo non retro cōmeat consecutio, dici potest Consequens. Sed hîc pro loco Sophistico accipitur, nempè, cū quis malè à Consequēte ad Antecedens, vel è cōtrà ratiocinatur. Et Paralogismus huius Fallaciæ est captiosa & Sophistica Argumentatio, quæ prouenit ex eo, quod malè quis ratiocinatur à Consequēte ad Antecedens, & è cōtrà: hoc est, quod putat Antecedens & Consequens inter se reciprocari, ideóq; eādē rationē esse utriusque, & eodem modo Argumentum sequi à Cōsequente ad Antecedens, quo sequitur ab Antecedente ad Consequens. Vt:

Hæc Fallacia dicitur consequentis Fallacia, quia vel à consequente, vel ad Cōsequens procedunt ipsius paralogismi.

Quicquid est homo, est animal.
Ergo quicquid est animal, est homo.

Vt huius natura plenius innotescat, animaduertendum est, locum à Consequente esse Dialecticum, si rectè & debito modo intelligatur. Nempè, si quis affirmatiuè ab Antecedēte ad Consequens, vel negatiuè à Consequente ad Antecedens ratiocinetur: locum autē esse Sophisticum, si affirmatiuè à Consequente ad Antecedens: vel negatiuè ab Antecedente ad Consequens argumentetur. Vnde, ꝗ ad hūc locū attinet, Axiomata sophistæ cōtraria

ſunt iys, quæ à Dialectico obſervantur. Axiomata Dialectici duo ſunt. 1. Poſito Antecedente ponitur Conſequens: 2. ſublato conſequente tollitur Antecedens. Exemplum prioris.

Homo eſt.
Ergo animal eſt.

Exemplum poſterioris.

Animal non eſt.
Ergo homo non eſt.

Axiomata verò ſophiſtæ his contraria ſunt. 1. Sublato Antecedente tollitur conſequens. 2. Poſito Conſequēte ponitur Antecedens. Exemplum prioris.

Homo non eſt.
Ergo animal non eſt.

Exemplum poſterioris.

Animal eſt.
Ergo homo eſt.

Quare duo ſunt modi generales huius Fallaciæ.

Antecedens & conſequens aliquādo ſunt	1 *Simplices voces: Vt,* homo, *eſt Antecedens:* Animal, *autem conſequens.*
	2 *Complexæ voces: Et tunc Antecedēs eſt propoſitio categorica, vel Hypothetica inferens concluſionē. Categorica, vt: homo non eſt. Ergo animal non eſt: hypothetica: vt: ſi homo eſt, animal eſt. Ergo ſi animal ~~non~~ eſt, homo eſt.*

Quidam volunt Antecedens & Conſequens *hoc in loco ſumi in poſteriori ſignificatione: aliy in vtroq;, ſed in priori tantum, cùm Antecedens & Conſequens in propoſitione collocantur.*

Conſe-

Consequēs sumitur tribus modis.

1 Primò, pro eo quod tempore sequitur: sic cædes est consequens vulneris: et partus est consequens conceptionis.

2 Secundo, pro eo quod naturâ sequitur: sic homo est consequens animalis; quia naturâ est posterior animali.

3 Tertio, pro eo q; in argumentatione alteriū sequitur: et hoc est duplex

- 1 Vnum, quod reciprocatur cum suo antecedente: sic risibile est consequens hominis.
- Alteriū, quod nō reciprocatur, & hoc est duplex.
  - 1 Vnum strictius est & minus cōmune q̄ Antecedens: vt: omniū oppositorū eadē est scientia. Ergo & cōtrariorū. Vbi vox, cōtrariorū, est consequens, et multo strictior, q̄ vox oppositorum, quæ est antecedens.
  - 2 Aliud latiùs patet et pluribꝰ inest, q̄ Antecedēs. Vt Animal, respectu hominis.

Consequens primo & secundo modo reuerà est Antecedens in argumentando: & Antecedens illorum consequentium est Consequens. Vt: cædes est: Ergo vulnus est, sivè præcessit. Item: homo est: Ergo animal est. Consequens igitur tertio modo sumptum hoc in loco sumitur, atque illud, quod non reciprocatur cum Antecedente, quodq; latiùs patet, quàm suum Antecedens, Nota.

Consequentium.
- 1 *Quædam prædicantur de Antecedentibus, idq; vel*
  - 1 *Essentialitèr: ut omne Superius in eodem Prædicamento respectu Inferioris.*
  - 2 *Accidentaliter, ut omnia Accidētia communia respectu suorum subiectorum.*
- 2 *Quædam non prædicantur de suis Antecedentibus, ut: unum respectu* duorum, parere *respectu* lac habere.

Communiter ad hanc Fallaciam (inquit Paulus Ab Eitzen) referuntur Argumēta, in quibus Cōsequentia pugnat cum regulis Consequentiarū, hoc est, in quibus est mala Consequentia, quando alia Fallacia non statim perspicitur. Negatur autem consequentia, & additur Regula, cum quo pugnat argumentum; ut: possibile est Pompeiū vincere Cæsarem. Ergo Pompeius vincet Cæsarem. Respondetur: Nego consequentiam, quia à posse *ad* esse, *sivè à* potentia *ad* actum *non valet argumentum affirmative.*

Ad hanc Fallaciam referuntur hi Paralogismi.

Qui honorat patrem & matrem, erit lōgævus super terram.
Ergo qui non est longævus super terrā, non honorat patrem & matrem.

Item.

Omnis homo est mendax.
Ergo omnis mendax est homo.

Item.

Qui

Qui custodit mandata Dei, habet vitam æternam.

Ergo qui habet vitam æternam, custodit mandata Dei.

Item.

Scriptum est: *Fac hoc, & vives.*

Ergo si hoc non facies, non vives.

Huius Fallaciæ causa
1 *Apparentiæ, est similitudo, & identitas Antecedentis & Consequentis.*
2 *Defectus, est dissimilitudo & diversitas eorundem.*

6. De Fallacia ex *non causa* vt *causa*, & eius Paralogismis.

Hic etiam locus Sophisticus seu Fallacia similitudinem quandam & speciem habet loci Dialectici. Sicut enim Dialecticus à causis ad effecta, & è contra, ab effectis ad causas in argumentando procedit, necnon veras causas, aut saltem probabiles quorumlibet effectorum excogitat: ita Sophista videtur à causis ad effecta, & ab effectis ad causas argumentum rectè deducere, & veras causas cuiuslibet effectus exprimere, cum tamen neutrum reverà præstet, nec possit præstare. Sicut enim circuli centrum non est cuiuslibet (teste Philosopho) sed periti Geometræ reperire: ita causas rerum non quilibet, qui sapientiam profitetur, sed is, qui verè sapiens est, & is, cui Dij ipsi benè favent, cognoscit: iuxta illud: 2. Eth c. 9.

Fœlix,

Fœlix, qui potuit rerum cognoscere causas.

Cum ergo Sophistæ causas rerum investigare nequeāt, non causas pro causis semper, aut sæpenumerò adducunt: hinc est, quod toto cœlo (vt aiunt) in disserendi facultate errent, & alios errare faciant. Nam sicut imperiti Medici sæpè decipiuntur, existimātes esse causam morbi eam, quæ causa morbi non est, & sic ignoratione causæ errant in tota medicatione: ita Sophistæ, homines reverà imperiti, sæpè decipiuntur, nec non alios decipiunt, arbitrantes esse causam conclusionis eam, quæ reverà ipsius causa non est. Et cùm duplex sit causa, vna (vt vocant) in essendo, altera in cognoscendo seu inferendo: causa hîc dicitur (vt inquit Aquinas) quæ est in inferendo causa: in quo sensu præmissæ dicuntur causæ conclusionis. Non causa *ergo est locus* Sophisticus, *cum non præmissa pro præmissâ sumitur. Et Paralogismus huius Fallaciæ est captiosa & Sophistica argumentatio, quæ ex eo provenit, quod inter præmissas, ex quibus sequitur conclusio, ponitur aliqua propositio, quæ nihil ad conclusionem operatur, & sic non est causa: vel quod absurditas aut falsitas conclusionis ascribitur alicui propositioni seu præmissæ, quasi ex ea efficiatur, ex qua tamen reverà non efficitur. Ex hoc loco (inquit Fonseca) contendunt Sophistæ tollendam esse è medio Eloquentiam, quòd perversi homines eloquentia præditi, multa mala persuadeant,*

Non causa quid? Paralogismus huius fallaciæ quid?

multa

multa bona dissuadeant: itemq; exterminandum esse vsum pecuniæ, quòd homines avari pecuniæ cumulandæ causâ omnia iura violent. Dicendum potiùs erat tollendos esse è medio perversos & avaros homines, qui eloquentiæ & pecuniæ contrectatione abutuntur: quandoquidem hi, non eloquentia, aut pecuniæ vsus sunt in causa, vt eiusmodi mala perpetrentur. Hæc Fallacia locum habet (inquit Arist.) in ijs Argumentis, quæ ad impossibile, sivè ad incommodum ducunt adversarium. In Syllogismis enim ostensivis, in quibus directè aliquid concluditur, ad nullum inconveniens (teste Aquinate) potest reduci Respondens, si sumatur aliqua propositio, quæ non est causa conclusionis, acsi esset causa. Nihilominus tamen locum habere potest in Syllogismis ostensivis. Paulus Ab Eitzen quinq; modos huius Fallaciæ enumerat, quos, vt iuniores huius Fallaciæ naturam meliùs perspiciant, subiungere operepretium duxi.

Quid sit syllogismus ducēs ad impossibile vide lib. 2. prior cap. 19. 20. & 21.

Primus modus est, cum illa, quæ causa non est, pro causa ponitur. Vt lupus apud Æsopum sic argumentatur:

Primus modus.

Agnus bibit, me bibente, ex eodem flumine.
Ergo agnus turbat mihi aquam.

Non causa pro causa hic ponitur. Nam agnus bibit in inferiori loco de flumine, lupus in superiori. Ergo agnus non potuit turbare aquã lupo bibenti.

Secundus

Secundus modus.

Secundus modus est, quando causa per accidēs ponitur pro vera causa: ut.

Hic laboravit febri.
Ergo temperantior est factus.

Febris non est vera causa, cur quis factus sit tēperantior, sed causa tantùm per accidens.

Tertius modus.

Tertius modus est, quādo causa remota pro propinqua ponitur, aut minus principales, partiales, & nō sufficiētes ponūtur pro principalibus, totalibus, aut sufficientibus: vt:

Est intemperans.
Ergo citò fiet hydropicus.

Quartus modus.

Quartus modus est, quādo à voluntaria causa ad necessitatem effectus fit argumentatio. Vt:

Deus est æternus.
Ergo mundus est æternus.

Quintus modus.

Quintus modus est, quādo à fine improprio, sivè abusu ad rei malitiam aliquis argumentatur. Vt:

Ebrietas est mala.
Ergo vinum est malum.

Ad hanc Fallaciam pertinent hi Paralogismi.

Multi audientes Evangeliū peiùs vivūt.
Ergo Evangelium est causa mali.

Item.

Deus pręscivit Iudam futurū proditorē.
Ergo Iudas non est reprehendendus.

Item.

Propter Evangelium pater insurget adversus filium, filius adversus patrem. &c.

Ergo

Ergo Evangelium est causa dissensionis & seditionis.

Item.

Dicit Eva. Genes. 3. 13. *Serpens iste seduxit me, & comedi.*

Ergo Eua non est reprehendenda, quòd pomum comederit.

Huius Fallaciæ causa. { *1 Apparētia, est cōveniētia præmissæ non causæ, cum præmissa causa.* *2 Defectus, est ipsarum diversitas.* }

De Fallacia *secundum plures interrogationes*, & eius Paralogismis.

V*Ltimus locus Sophisticus appellatur* Fallacia secundū plures interrogationes, *quando scil. plures interrogationes pro vna adducit sophista quibus, tanquā vni, vnā etiam responsionē adhibet Respōdens: vnde Paralogismus huius Fallaciæ definitur captiosa & Sophistica Argumētatio, quæ ex eo provenit, ꝙ opponens plures interrogationes pro una adducit, cui Respondēs sine distinctione, ac si una esset interrogatio, unā accōmodat respōsionē, cū plures adhibere debuisset. Vt si interroget sophista:* Paralogismus huius fallaciæ quid?

Estné Socrates & Plato homo.

Si *Respondens dicat vtrumq́ esse hominem, tunc colliget Sophista:*

Ergo qui Socratē & Platonē verberat, hominem, non homines verberat.

Sin verò respondeat non esse hominem, tunc

con

concludet Sophista:

Ergo Socrates non est homo.

Aut:

Plato non est homo.

Vnde quamcunque partem Respondens concesserit, in aliquod absurdum incidet, si pluribus interrogationibus, quæ diversas requirunt responsiones, vnicam tantùm accommodaverit. Hic notandum est Enuntiationem, propositionem, interrogationem & conclusionem re & naturâ non differre, sed tantùm ratione & proferendi modo. Dicitur enim Enuntiatio ea ratione, qua significat simpliciter aliquid esse, aut non esse: propositio ea ratione, qua ad alterius probationem sumitur: interrogatio, quatenus ab Opponente interrogatur: conclusio, quatenus ex aliis probatur & colligitur.

Nota.

Aquinas. Lovanienses.

Interrogatio Syllogistica, ex qua fieri potest Syllogismus, duplex est.

- 1 *Vna, in qua vnum interrogatur de vno, nempè vnum prædicatum de vno subiecto. Vt: Estné homo animal? Et in hac non reperitur hæc Fallacia.*
- *Plures, in qua vel*
  - 1 *Plura de vno interrogantur Vt: Estne terra mare vel cælum?*
  - 2 *Vnum de pluribus interrogatur: ut: Num mel & fel sunt dulcia?*
  - 3 *Plura de pluribus interrogantur. Vt: Num virtutes & vitia sunt bona & mala?*

Hinc tres sunt præcipui Modi huius Fallaciæ.

Plura

Plura de vno aut vnum de pluribus, aut plura de pluribus rogātur quinq; modis.

1 Implicitè & incomplexè. Vt: sitne latrabile canis? vtrum canis latret? an canis sit piscis?

2 Implicitè & inconiunctim: Vt: Estne Socrates caluus sapiens?

3 Explicitè connexa adinvicem, vt determinabile & determinatio. Vt: Estne Socrates albus homo?

Coniunctim. Vt: vtrum hic & hic sit homo?

5 In plurali numero. Vt sintne ista bona?

Lovaniens.

Horum modorum primus est Æquivocationi accommodandus: reliqui autem præsenti Fallaciæ: vnde nonnulli quatuor Modos huius Fallaciæ assignant. Nota.

Interrogationes sunt duplices.

1 Quædam sunt manifestæ, adeo vt quivis perspicere possit multas esse interrogationes, ideoq; non vincam responsionem illis esse accommodandam. Vt: vtrum terra est mare an cælum?

2 Quædam occultæ, quæ cum reverà plures sint, tamen non facilè possunt dijudicari, sed vna tantum esse videntur.

Huius posterioris generis est illud, q; apud A. Gellium legitur Desierisné facere adulteriū, an nō? si respōderis, q; desines, adulterij reū te facis: si dixeris, q; nō desines, pœna te dignū indicas. Verba ipsius Gellij, quoniam multùm ad hanc Fallaciam explicandam conferunt, subiungere operepreciums duxi: quæ sic se habēt. Legē esse aiunt disciplinæ Dialecticæ (inquit) si de quāpiā re quæratur, dispute- Lib. 16. c. 2.

puteturq́; : atq; ibi quod rogère, vt respondeas: tum ne amplius quid dicas, quàm id solum, quod es rogatus: aut aias, aut neges, eamq; legem qui non servent, & aut plus, aut aliter, quam sunt rogati, respondeant, existimātur rudes indoctiq; esse, disputandiq; morem atq́; rationem non tenere. Hoc quidem quod dicunt, in plerisq́; disputationibus proculdubiò fieri oportet. Indefinitus namq́; inexplicabilisq; sermo fiet, nisi interrogationibus responsionibusq; simplicibus fuerit determinatus. Sed enim esse quædam videntur, in quibus si breviter, & ad id, quod rogatus fueris, respondeas, capiare. Nam si quis his verbis interroget, postulo vt respondeas: Desierisne facere adulterium, an non? *Vtcunq; Dialectica lege responderis, (hoc est,) sivè aias, sivè neges, hærebis in captione, tàm si te dicas adulterum, quàm si neges. Sed quod minus est in interrogatione, id est, addendum. Nam qui facere aliquid non desinit, nō id necessariò etiam fecit. Falsa igitur est species istius captionis: & nequaquam procedere ad id potest, vt colligi concludiq; possit, eum facere adulterium, qui se negaverit desiisse. Item illud.* Quicquid non perdidisti habeasne, an non habeas? *postulo aut aias, aut neges. Vtcunq; breviter responderit, capietur. Nā si non habere se negaverit, quod non perdidit: colligitur oculos, eum non habere, quos non perdidit, sin verò habere se dixerit, colligitur eum habere cornua, quæ non perdidit. Rectius igitur*

igitur cautiusq́; ita respōdebitur. Quicquid habui, id habeo, si nō perdidi. *Sed huiuscemodi respōsio nō fit ea lege, quam diximus. Plus enim, quā quod rogatus est, respondes. Et propterea id quoq; ad eam legem addi solet, non esse captiosis interrogationibus respondendum. Hæc Gellius. Ad hanc Fallaciam pertinent hæ interrogationes.*

Estne Christus Filius æternus Dei & homo ex Maria virgine natus?

Si affirmes, concludet hæreticus Christum, quà Deus est, ex Virgine natum esse: si neges: colliget Christum, quà homo est, non esse natum. Ergo cum distinctione respondendum erat: Christum scil. quà Deus est, non esse natum è Virgine, sed quà homo est. Item Arriani sic interrogabant:

Num credis in Christum, an in ὁμέσιον?

Si sine distinctione respondeas, & dicas te in Christum credere, colligunt illi: Ergo non credis in ὁμέσιον: si dicas te credere in ὁμέσιον: concludunt: Ergo non credis in Christum.

Item:

Estne Christus æqualis Deo?

Si affirmes: concludet hæreticus hominem esse æqualem Deo. Si neges: concludet Christum non esse Deum. Ergo cum distinctione respondendum est: Christum quoad Divinitatem esse æqualem Deo: quoad humanitatem non esse æqualem Deo.

Item.

Vtrum traditiones humanæ sunt impiæ, & abolendæ?

Si affirmes: capieris. Nam Disciplina & εὐταξία in Ecclesia sine his non possunt conservari: si neges, similiter in absurdū incides. Ergo cū distinctione erat respondendum. Traditiones aliæ sunt institutæ, vt immediatè sint cultus Dei: hæ sunt impiæ & abolendæ. Nam frustra (inquit Dominus) colunt me mandatis hominum. Aliæ pertinent sine impietate ad conservationem ordinis, εὐταξίας & Disciplinæ: hæ non sunt impiæ per se. Hæc Paulus Ab Eitzen.

Traditiones duplices.

Notandum est hanc Fallaciam ad omnes Fallacias & Paralogismos posse quodamodo extendi. Nam cuiuslibet Fallaciæ sivè Paralogismi interrogatio, si rectè animadvertatur, multiplex est & plures continet in se interrogationes. Vt in Homonymia hæc interrogatio: An canis est latrabilis? *in Amphibolia:* An, quod quis cognoscit, illud ipsum cognoscit? *in Compositione & Divisione:* Num possible est sedentem ambulare? *Idem in cæteris observari poterit.*

Nota.

Huius Fallaciæ causa
- 1 *Apparentiæ, est vnitas ex parte modi interrogandi, qua plures interrogationes videntur esse vna.*
- 2 *Defectus, est pluralitas interrogatorum, sivè diversitas plurium interrogationum & vnius.*

De aliis generibus vitiosarum

Argumentationum.

INterpretes alia vitiosarum Argumentationum genera, præter ea, quæ ab Aristotele recensentur, huc solent annumerare: quæ sunt: Sorites, Dilemma, Pseudomenos, Βίαιον, *sivè Violentum, Crocodelites & Asystaton. Sorites est argumentatio, qua gradibus quibusdam ad conclusionem pervenitur, in qua, quod prædicatum est prioris cuiuslibet propositionis, illud est subiectum posterioris, donec tandem in conclusione vltimum prædicatum de primo subiecto enunciatur. Vt:* Sorites quid?

> Qui benè bibit, benè dormit:
> Qui benè dormit, nihil mali cogitat:
> Qui nihil mali cogitat, non peccat:
> Qui non peccat, salvus erit.
> Ergo qui benè bibit, salvus erit.

Hoc genus Argumenti à Chrysippo Stoico est inventum: vulgò appellatur, A primo ad vltimum: *A Galeno habetur pro quarta Figura. Certum numerum propositionum non habet: sed si ex tribus tantum constet, potest in syllogismum reduci, si Minor mutetur in Maiorem, & Maior è contrà in Minorem: sin ex pluribus constet, quàm tribus, tum plures syllogismos in se comprehendit. Hinc à* σωρεύω *deducitur, quod cumulo, acervo, congero significat: inde* σωρείτης: *syllogismus acervalis, sivè cavillationum congeries quædam.*

Dialemma quid?

Dialemma est Argumentum bicorne utrinque adversarium illaqueans: hoc est, quod constat ex duobus membris repugnantibus, quorum utrumvis concesseris, capieris: quale est illud Biantis argumentum:

Si duxeris uxorem formosam, habebis communem: sin deformem, habebis molestam.
Ergo nulla est ducenda.

Deducitur à verbo διαλαμβάνω, id est, comprehendo, constringo.

Pseudomenos quid?

Pseudomenos, seu mentiens est Argumentatio Dilemmati similis, in qua sive hoc, sive illud concesseris, in absurdum incidas: Ut: Epimenides dixit Cretenses esse mendaces: Num verum dixit an falsum? Si verum dixit, & sunt Cretenses mendaces, falsum tamen erit, quoniam ab autore Cretensi & ipso mendace pronunciatum est: si non sint mendaces: nec Epimenides mendax, & ei credendum est.

Βίαιον sive violentum quid?

Βίαιον, sive Violentũ est Argumentatio, quoties adversarius sua ratione, quasi proprio gladio iugulatur. Ut:

Sum filius regis.
Ergo nolo Philosophiæ operam dare.

Responderi potest, imò hoc magis Philosophiæ incumbendum esse, hoc pacto:

Sum filius regis.
Ergo volo Philosophiæ operam dare.

Crocodelites quid?

Crocodelites est, cum callida circumventi interro-

gatio-

gatione id admittimus, quod mox arreptum ab adversario nobis obest. Fingunt hoc Argumentum à Crocodilo bellua inventum: veriùs à Crocodilo Tyranno. Hic enim matri raptum filium repescenti, ita respondit. Reddam tibi filium, si verum mihi respondeas: Quid ais igitur: utrum reddam an non? *Tum illa, non reddes (inquit) atque ob id æquum est (inquit) vt reddas, quia verum dixi: Cui ille: atqui si reddidero, non dixisti verũ, & ideò non reddã: nec si me redditurũ dixeris, reddam, quoniã falsum dixeris. Poterat hoc dixisse mulier Tyranno, in manu ipsius fuisse, efficere, vt verò aut falsò responderet. Quemadmodum in Apologis de Phæbo legimus. Adijt quidam Apollinem periculum facturus num omnia præsciret:* Dic (*inquit*) Phæbe, animatum, an inanimatum in manu proferam? *si inanimatum dixisset, vivum produxisset passerem: sin animatum, passerem mortuum digitorum compressu necatum ostendisset. Phæbus præscius, vitavit utrũq; hoc pacto: penes te est (inquit) o inepte vivũne an mortuũ velis producere.* Setonius.

Asystaton, sivè non consistens est Argumentatio quæ constat ex debili propositione, quæ consistere nequit: vt si quis tacere se dicat, vel mentiri, vel nihil scire: et quærat: taceatne an loquatur &c. ex his ita perficiũtur sophismata. Ergo qui tacet, loquitur: qui mentitur, verum dicit; & qui nihil scit, aliquid scit. Asystaton quid?

Quod ad has Argumentationum species attinet:

existi-

existimo earum nonnullas omni ex parte vitiosas esse, quales sunt Pseudomenos, Crocodelites & Assystaton, et partim ad Fallaciam ex Dicto secundum quid ad Dictum simpliciter, *partim ad Fallaciam* secundum plures interrogationes *posse reduci: nonnullas verò omni ex parte vitiosas non esse: Quales sunt* Sorites *& Dilemma: si verò à veritate aliquando deflectant, vitium non in Forma, sed in Materia, quia ex falsis constant propositionibus, situm esse: quo etiam vitio laborat βίαιον, sivè Violentum. Quod ad Dilemma spectat, dicendum est illud vitiosum esse, cuius vel altera pars, vel utráque potest in adversarium retorqueri: quod genus* Solutionis *appellatur Antistrephon, sivè conversio, quod nonnulli vocant Reciprocum. Ut:*

Si duxero vxorem formosam, erit
iucunda: sin deformem, erit casta.
Ergo ducenda est vxor.

Quamvis si rem rectè perpenderimus, hoc propriè non est Antistrephon, sicut docet Phavorinus (Lib. 5. c. 11.) *apud Aulum Gellium: quia inter membra, quæ videntur repugnantia, sit aliquid interiectum, veluti Media Forma, quam Ennius* statam, (Stata quid?) *appellat.* Stata *dicitur, quia néque κοινὴ futura sit, néque ποινὴ, quam formam modicam & modestam Phavorinus non inscitè appellat. Ennius in Menalippa eas ferè fœminas ait incolumi pudicitia*

tiâ esse, quæ stat â formâ forent. Hæc Gellius. Periculosum est & lubricum hoc argumentandi genus, & captiosum: Quale est illud Αντιστρεφον *apud eundem Gellium de Protagora Sophista & Evathlo discipulo: quorum ille inexplicabilem hanc proposuit captionem:* Lib.5.cap.10.

Aut contra te, aut secundum te pronunciabitur: si contra te, debebis ex sententia: si secundum te, debebis ex pacto. Vide Gelliū ibidem.

Ergo vtroq; modo debebis.

Evathlus hoc Protagoræ argumentum tali inversione dissoluit, & in præceptorem retorquet.

Aut pro me, aut contra me pronunciabitur: si pro me, nihil ex sententia: si contra me, nihil ex pacto debeo.

Ergo neutro modo debebo.

Simile est illud Aristophanicum. Vapulat à patre filius: hic quærit causam, cur liceat patri verberare filium: respondet illi pater:

Pater benè vult filio.

Ergo licet patri filium verberare.

Invertit filius:

Filius benè vult patri.

Ergo licet filio verberare patrem.

ANALYSIS

CAP. 5.

ARGVMENTVM.

PErtractatis singulis locis Sophisticis seu Fallaciis, iam omnes revocat ad vnum quendam locum seù generalem Fallaciam, quæ vocatur Fallacia *ex ignorantia Elenchi*. Omnes enim Fallaciæ & Paralogismi ex eo oriuntur, quòd à definitione Elenchi deflectant. In hoc ergo capite Arist ostendit primò Fallacias *intra dictionem* adversus definitionem Elenchi peccare: Secundò Fallacias *extra dictionem* contra definitionē ipsius confici ostendit: vnde duæ sunt principales partes huius capitis.

Num omnes Fallaciæ & Paralogismi possunt reduci ad vnam generalem Fallaciam, quæ sit omnium principium & fundamentum?

Possunt: nempè ad Fallaciam ex *ignoratione Elenchi*. Nam (vt inquit Arist.) *Aut igitur sic dividendi sunt, qui videntur syllogismi: aut omnes revocandi ad ignorantiam Elenchi, hac principio sumptâ. Licet enim omnes dictos modos resolvere in Elenchi definitionem*: Quorum quidem verborum sensus hic est: Paralogismorum sivè Sophisticorum Elenchorum aut tot sunt loci, qui sunt tredecē illæ Fallaciæ, de quibus dictū est: aut si malimus vnum quasi omnium locum & principiū constituere, revocandi sunt omnes ad vnam Fallaciam ex *ignoratione Elenchi*, quia contra Elenchum, aut aliquam partem definitionis Elenchi omnes Paralogismi peccare de-

deprehenduntur.

Quibus rationibus probare possis omnes Paralogismos peccare contra Elenchum, aut aliquam partem definitionis Elenchi?

His duabus rationibus: nempè Syllogismo & Inductione. Primò enim in genere probari potest omnes Paralogismos peccare contra verum Elenchum & ipsius definitionem, hoc syllogismo: Omnes Argumentationes, quæ sunt ineptæ ad concludendum, & in quibus conclusio necessariò ex præmissis non sequitur, peccant contra Elenchum & ipsius definitionem: sed omnes Paralogismi sunt inepti ad concludendum, nec in iis conclusio necessariò ex præmissis sequitur. Ergo omnes Paralogismi peccant contra Elenchum & ipsius definitionem. Minor patet: Maior probatur: Illud enim positum est in definitione Elenchi. cap. 4. *Vt conclusio ex iis, quæ posita sunt, necessariò efficiatur.* 1

Secundò hoc probari potest Inductione. Nam si percurramus omnes Paralogismos & Fallacias tàm *intra dictionem*, quàm *extra dictionem*, videbimus vnumquemq; Paralogismũ peccare contra aliquam partem definitionis Elenchi. Quod, vt magis nobis fiat manifestum, in memoriam revocanda est definitio Elenchi, quæ supra in cap. 4. tradita est. Elenchus est contradictio vnius & eiusdem, non nominis sed rei: ac nominis non synonymi, sed eiusdem: quæ ex concessis necessariò colligitur, non connumerato eo, quod in principio quæsitum fuit, & sumitur secundum idem, ad idem, eodemque modo, & eodem tempore. Quam definitionem si rectè perpendamus, videbimus aliquam ipsius partem in quolibet Paralogismo esse omissam. 2

Vt initiũ sumamus à Fallaciis intra dictionem: *contra quam partem definitionis Elenchi peccant hæ tres Fallaciæ, Homonymia, Amphibolia &* [b] *Figura dictionis?* 1 2 3

Hæ

Hæ tres Fallaciæ peccant contra hanc partem definitionis, scil. *contradictio unius & eiusdem rei*. In his enim est contradictio vnius tantum nominis, sed nō eiusdem etiam rei. Nam paralogismi in his confecti (vt inquit Arist.) ex duplici nempè significatione oriuntur, hoc est, ex eo oriuntur, quòd sub vno nomine sivè oratione non vna res, sed duæ diversæ significentur. Solent enim (inquit) ista omnia quasi vnum quippiam significarent, ita vsurpari. Vnde in his est vnum idemque nomen, sed non vna & eadem significatio, aut res intelligitur. Quare relinquitur in iis Contradictio nominis, sed non rei.

Græcè legitur τὸ δέ τι σημαίνειν: Pacius hunc locum ita restituit: τὸ διττὸν σημαίνειν.

Contra quam partem definitionis Elenchi peccant hæ tres Fallaciæ: Compositio, Divisio, & Accentus?

4 Hæ tres peccant contra hanc partem: *Contradictio v-*
5 *nius & eiusdem nominis*: In his enim etsi sit contradi-
6 ctio eiusdem rei, tamen non est contradictio eiusdem nominis sivè orationis. Nam oratio coniuncta & divisa non sunt eadem, saltem quoad Formam seu proferendi modum: neq; nomen hôc accentu & illô accentu signatum est idem nomen, sed diversum: sed vt verus fiat Elenchús aut omninò syllogismus, oportet, sicut eadem res est: ita eadem esse nomina & orationes: atq; ita eadem, vt si *Tunica* concludi debeat, non oportet *vestem* concludi, sed hoc idem nomen *tunicā*. Quamvis enim si *vestis* concludatur, verum sit æq; atque si *tunica* concluderetur: tamen non adhuc est syllogismo conclusum, quod propositum erat, sed adhuc interrogatione est opus, vt idē significare assumatur, Erga quærētem, quid ita? hoc est, sed illa interrogatio debet accedere: nonné idem vnum valeat atque alterum? si modo velis ei, qui causam rogaverit, vnde illud sequeretur, quod concludis, iusta ratione satisfacere.

Accé-

Accedamus ad Fallacias extra dictionem: *Quomodo ergo Fallacia* Accidentis *peccat contra definitionem Elenchi?*

Fallacia *Accidentis* peccat contra definitionem Syllogismi. Ergo peccat contra definitionem Elenchi. Argumentũ patet: quia eadem est definitio Elenchi, quæ est Syllogismi, nisi quod in definitione Elẽchi adiiciatur *contradictio*. Elenchus enim est Syllogismus concontradictionis, hoc est, inferens contradictorium in conclusione, vt supra dictum, est in c. I. Ergo si peccat contra definitionem Syllogismi, peccat etiam contra definitionem Elenchi: Et si non sit Syllogismus, nõ erit Elenchus. Antecedens prob: Nam in Fallacia Accidentis conclusio non necessariò sequitur ex iis, quæ posita sunt, sivè ex præmissis. Ergo peccat contra definitionem Syllogismi, vnde non erit Syllogismus: sicut his duobus exemplis manifestum est, quorum prius Physicum est, alterum Mathematicum: Prius ita se habet. 1

Homo est necessariò animal.
Animal est album.
Ergo homo est necessariò albus.

Vel

Necesse est hominem esse animal.
Animal autem est album.
Ergo necesse est hominem esse album.

Cuius Paralogismi conclusio propter Syllogismũ non sequitur, nec necessariò infertur: primò, quia medius terminus malè disponitur. Est enim prędicatũ in Maiori: subiectum in Minori. Secundò, quia si rectè disponeretur, pręmissæ non sunt causæ cõclusionis: vnde neque secundum Formam, neque secundum Materiã ex Præmissis sequitur conclusio.

Posterius exemplum.

Omne triangulum habet tres angulos duobus rectis

ctis æquales tamquam propriam passionem.
Triangulũ est figura, vel primum vel principiũ.
Ergo figura, vel primum vel principium habet tres, angulos &c.

Hæc ratiocinatio, quãvis fortasse, si Formã respicias, dici possit quodamodo Syllogismus : tamẽ si Materiã cõsideres, nõ erit Syllogismus, nẽpè talis, qualis videtur. Nam videtur esse Demõstrativus, sivè Demõstratio, eaque vniversalis & potissima, in qua propria passio videtur demonstrari de suo subiecto primo & adæquato: quod tamen verum non est. Hæc enim affectio, *habere tres angulos*, non demõstratur de *Figura* tãquam de suo primo subiecto, neque per se, sed per accidens. Non enim convenit figuræ, quà est figura, sed quà est *triangulum*. Vnde *triangulum*, non *figura* est primũ subiectũ huius affectionis, de quo demõstratur?

Quinam hac Fallacia decipiuntur?

Nõ solũ homines imperiti, sed etiã [d] artifices, hoc est, eruditi, q̃ vel arte aliqua, vel omninò scientia quadã prędit sũt ab indoctis & imperitis sophistis hac Fallacia decipiuntur. Ducunt enim Syllogismos & argumẽta ex Accidente, quæ contra sapientes obiiciant, quę, quoniã docti alioqui homines distinguere nõ valeãt, propterea ab illis interrogati, aut concedũt, aut etiam quæ non admiserunt, ea se concessisse opinantur.

Contra quam particulam definitionis Elenchi peccat Fallacia a Dicto secundum quid ad Dictũ simpliciter, *vel è contra?*

Contra illam, *contradictio eiusdem*. Nam in hac Fallacia affirmatio & negatio, hoc est, contradictio nõ est de eodẽ. Dictũ enim secundum quid, & dictũ simpliciter non sunt idẽ: quæ tamen Sophista accipit pro eodem. Vnde ei, quod quadamtenus sivè secundum quid albũ est, id contradicit, quod quadamtenus & secũdũ quid non est album: ei verò, quod simpliciter est albũ contradi-

tradicit id, quod non simpliciter est album. Si igitur quod ex aliqua parte album esse dederit quispiam Respondés, ita opponens accipiat, acsi omninò album esse concessisset, eo modo nūquam illum vero Elencho reprehēdet, sed videtur reprehendere, quoniā ignoratur quidnam sit Elenchus, sivè Reprehensio,

Quomodo contra definitionem Elenchi peccat Fallacia ex ignoratione Elenchi? 3

Perspicuum est hanc Fallaciam peccare contra definitionem Elenchi. Oritur enim ex ignorata aliqua ipsius definitionis parte: vnde & hoc nomen sortita est. Appellatur enim Fallacia ex *ignoratione Elenchi,* quia in ea ignoratur, vel omittitur aliqua pars definitionis Elenchi, nempè vna ex quatuor vltimis, *ad idem, secundum idem, eodem modo, eodem tempore.* Nam ob omissionem alicuius harum, fit, vt Elenchus videatur, cum reverà non sit. Neq; in hac tantū Fallacia, sed in omnibus, si dividantur eo modo, quo iam aggressi sumus, hoc commune est, nempè ut Eléchus videatur ob defectionis Elenchi defectionem.

Contra quam particulam definitionis Elenchi peccāt hæ duæ Fallaciæ, nempè Fallacia petitonis 4
principii: *& Fallacia ex non* causa vt causa? 5

Fallacia ex non causa vt causa peccat contra illā particulam: *Quæ ex concessis necessario colligitur.* Oportet enim conclusionem Elenchi evenire propter ea, quæ posita sunt, hoc est, propter pręmissas, tanquam ipsius causam: quod quidem in hac Fallacia non fit. Fallacia verò *Petitionis principii* peccat cōtra illam particulam, *Non connumerato eo, quod in principio quæsitum fuit.* Hęc enim non observatur in hac Fallacia.

Quomodo probas Fallaciam Consequentis *peccare contra definitionē Elenchi?* 6

Hac ratione: Fallacia *Accidentis* peccat contra definitionem Elenchi, vt dictum est. Ergo & Fallacia *Consequentis*

sequentis. Argumentum patet: quia fallacia *Consequētis* est pars Fallaciæ *Accidentis*.

Quomodo differt Consequens ab Accidente, hoc est, Fallacia Consequentis *à Fallacia* Accidentis.

Accidens sivè Fallacia *Accidentis* in vno tantum cernitur: Vt puta idem esse flavum & mel, necnon albū & cygnum: Consequens verò, sivè Fallacia *Consequentis* semper in pluribus intelligitur. Nam quæ vni & eidem sunt eadem, etiam inter se eadem esse postulamus: vnde oritur Elenchus, qui ex *Consequenti* appellatur.

Num illud postulatum sivè pronuntiatum: Quæ vni & eidem sunt eadem, inter se sunt eadem, *semper verum est?*

Nequaquam. Nam fieri potest, vt aliqua eidem sivè in vno & eodem sint eadem secundum accidens, quæ tamen secundum se non sunt eadem: vt si cygnus & nix cum albo sint eadem, hoc est, sunt alba secundum accidēs: non tamen sequitur ea per se esse alba. Paralogismus sic colligi potest.

Nix est alba.
Cygnus est albus.
Ergo cygnus est nix.

Rursum, sumatur argumentatio Melissi. Ipse enim putabat hæc idem esse: nempè, *Genitum esse*, & *principium habere*, quia eadem sunt in *Finito*. Similiter incidit in Fallaciam *Consequentis*, qui putat *Æqualia esse*, & *habere eandem magnitudinem*, esse eadem. Nam illud latiùs patet quam hoc, quia ad Quanitatem continuam & discretam extenditur: hoc verò ad continuam tantum restringitur. Quoniam ergo Elenchus sivè Fallacia *Accidentis* ad ignorationem definitionis Elenchi reducitur, manifestum est, & Fallaciam *consequentis* ad eandem referri: quamvis etiam & alio modo ad eam possit reduci.

De hoc exēplo ante dictum est.

Quo-

Quomodo probas Fallaciam secundum plures interrogationes *peccare contra definitionē Elēchi?*
Hanc Fallaciam non esse omninò Elenchum, ac proindè peccare contra Elenchum, & ipsius definitionē, hinc fiet manifestum. Omnis Elenchus est syllogismus: Fallacia *secundum plures interrogationes* non est syllogismus. Ergo non est Elenchus. Maior patet. Minor prob. Omnis syllogismus constat ex propositionibus simpliciter. Hæc Fallacia non constat ex propositionibus simpliciter. Ergo non est syllogismus. Minor prob. Hæc Fallacia non constat ex propositionibus, quarum vnaquæq; est vna. Ergo non constat ex propositionibus, simpliciter. Argumentum patet: quia idem est, esse vnum, & esse simpliciter. & eadē est definitio vnius tantum, & simpliciter rei, vt *hominis & vnius* tantum hominis secundum speciem: similiter se res habet in aliis rebus. Antecedens probatur: Hæc Fallacia non constat ex propositionibus, in quarum vnaquęq; vnū scil. pręedicatum pręedicatur de vno subiecto. Ergo non constat ex propositionibus, quarū vnaquæq; est vna. Argumentum patet: quia definitio rei & natura rei eadē est: vna autē est definitio propositionis Vnius & simpliciter: quæ est, *oratio in qua vnum de vno* * *prædicatur*. Antecedens prioris Enthymematis prob. Hæc Fallacia constat ex iis propositionibus, quarum vnaquæq; est plures (vt ita loquar) & multæ. Nam vel plura de vno, vel vnum de pluribus, vel plura de pluribus in his, vel in harum aliqua pręedicatur. Ergo nō constat ex iis quarum vnaquæq; est vna. Quare siquis responsionem dederit, quasi ad vnam interrogationē, Elencho redarguitur: sin verò non dedit, sed videtur dedisse, videbitur Elēcho reprehendi. Atque sic patet omnes Fallacias Fallaciarūq; Paralogismos in Elenchi ignorantiam incidere: illas, quæ sunt *intra dictionem*, quia in iis videtur esse con-

* Affirmando vel negando.

tradi-

tradictio, quod sit proprium Elenchi, & quo à Syllogismo distinguitur, cum nulla tamen in iisdem reperiatur: Reliquas propter Syllogismi definitionem, quia in iis est Syllogismi defectio, hoc est, ignoratio alicuius partis definitionis Elēchi, quà Syllogismus est, nō quà contradictio.

SCHOLIA IN CAP. 5.

a

Fallacia ex ignoratione Elenchi est duplex.

- *Vna specialis, quando ignoratur, vel omittitur vna ex quatuor vltimis particulis definitionis Elenchi: atq; hæc cōstituit tertiā Fallaciā extra dictionē à cæteris omnibus distinctam.*
- *Altera generalis, quando ignoratur, vel omittitur aliqua omnino particula definitionis Elenchi, quæcunq; demū illa sit: Atq; ad hanc reducuntur omnes paralogismi. Hæc enim ōnibus locis Sophistis communis est.*

Nota. *Quidem tamē (inquit Albertus) asserunt ignorationem Elenchi semper esse contra omnes condiciones Elenchi, sed diverso modo: quia vno modo ignorantia Elenchi est cōtra cōdiciones Elēchi, secundū se: Alio modo contra condiciones Elēchi, quæ sūt ex consequenti condiciones ipsius. Quando est contra condiciones Elenchi secundum se, tunc est specialis Fallacia, ad quam aliæ non reducuntur: quādo autem est ignorantia Elenchi ex consequenti, tunc est generalis Fallacia. Dicitur autem aliquis ignorare Elenchum secundum se, quando ignorat aliquam, vel aliquas condiciones cōtradictionis: Dicitur verò ignorare Elenchū ex cōsequēti, quādo*

credit

credit rem esse vnam, sicut nomen est vnum: & ex consequenti putat nomen esse vnum & rem vnam, credit Medium syllogismi esse vnum re & nomine: & quia hoc putat, ex consequenti credit syllogismum esse vnum & verum, & sic Elenchum esse vnum: & sic ex consequenti ignorat Elenchũ. Hæc annotasse operepretium duxi.

b Fallacia Figuræ dictionis ideò coniuncta est Homonymiæ & Amphiboliæ, quia his tribus commune sit, servatâ eâdem Materiâ & Formâ, plura aut verè aut apparenter significare: et si illis respondeat Multiplex actuale, huic autẽ duntaxat Multiplex phantasticum. Lovanienses.

Obiectio.

c Triangulo non accidit, vt sit Figura, quia Figura est genus ipsius. Ergo male contrarium asserit Arist. in contextu: nec illa argumentatio, in qua Figura concluditur habere tres angulos &c, Est paralogismus Accidentis.

Solutio.

Quamvis Figura non accidat Triangulo, quatenus est triangulum, quia est genus ipsius: tamen ei accidit, nec ipsius genus est, quatenus cum aliquo tertio confertur, nimirum quatenus habet tres angulos &c. Ex hoc loco perspicuum est Superius dici posse Accidens Inferioris, quatenus alterũ eorum cum aliquo tertio confertur. Nota.

d Causa, cur docti ab indoctis sophistis hoc captionis genere decipiantur est, quia non satis exercitati Mathisius.

 ercitati

ercitati sunt, nec distinguere internoscunt, ut habet Philosophus: Quamvis nonnulli asserant Doctos hic intelligi, qui circa nonnulla sapientes sunt, & aliorum ignari: vel quia scientiam universalium possident, & ignari sunt particularium & minus communium, quorum syllogismos nequeunt distinguere, an boni sint, an mali.

c Hic locus ex Consequente differt à loco ex Accidente: quia Accidens in uno tantum subiecto: Consequens autem unum idemq; in pluribus subiectis sumitur: Itaq; in Paralogismo Accidentis Accidens cum uno tantum subiecto: in Paralogismo verò Consequentis cum duobus distinctis subiectis confunditur. Verbi gratia, cum dicimus,

Hic canis est pater,
Et est tuus,
Ergo est pater tuus,

Accidentia hæc pater & tuus, quæ Cani accidunt, cum uno tantum subiecto, nempè cum cane confunduntur: At cum dicimus,

Mel est flavum,
Fel est flavum,
Ergo fel est mel,

Accidens, quod est flavum, cum pluribus subiectis, nempè cum melle & felle confunditur. Alberius.

ANA-

ANALYSIS.

CAP. 6.

ARGVMENTVM.

CVm in omni Paralogismo duæ sint causæ, vt in 1. c. huius lib. explicatum est: Vna ex parte Opponẽtis, qui est locus Sophisticus, ex quo captiones deducit: Altera ex parte Respondẽtis, quæ efficit, vt ratiocinatio appareat legitima, quæ tamen non est: cumq; de priori illa causa hactenus abundè dictum sit, iam ad posteriorem hanc causam declarandam accedit Philosophus. Causa ergo deceptionis in ipso Respondente est *imperitia* siuè *ignoratio distinctionis*: quod Inductione probat Arist in singulis Fallaciis. Primò in Fallaciis *intra dictionem* vbi probat ex harum numero esse Fallaciam figuræ dictionis. Secundò in Fallaciis *extra dictionem.*

Sicut Medicus quærit causam morbi, vt possit adhibere cõmodum remedium: ita etiam Arist. quærit causã deceptionis, quo facilius possit huic malo mederi. Pacius.

Quæ est causa, cur Paralogismis & Sophisticis captionibus decipiamur?

Causa cur his decipiamur, est *ignoratio distinctionis.*

Quomodo illud probas?

Inductione. Nã si singulas Fallacias, in quibus Sophistę captiones contexunt, percurramus, in singulis videbibimus ignorantiam distinctionis causam esse, cur talibus decipiamur. Vnde quia distinguere nescimus, in Sophisticos laqueos incidimus.

Percurramus igitur singulas Fallacias, ac Primò Fallacias intra dictionem, *& videamus an hoc verum sit. Cur ergo fallimur Paralogismis* Ho-

Amphiboliã hoc in loco vocat Arist. orationem.

monymiæ & Amphiboliæ?

Paralogiſmis vtriuſq; huius Fallaciæ fallimur, quia neſcimus diſtinguere illud, quod multifariam dicitur, hoc eſt, diſtribuere multiplicem vocem, & orationem ambiguam in ſua ſignificata & in ſuos ſenſus. Nam etſi multas ambiguas voces facile ſit diſtinguere: quędam tamen ſunt, quorum multiplicitatem explicare non eſt facile: cuiuſmodi ſunt,[b] *Ens, Vnum, Idem.*

3 *Quare fallimur Paralogiſmis* Compoſitionis & Diviſionis?

4 Quia non poſſumus diſtinguere inter orationem coniunctam & orationem diviſam. Putamus enim nihil inter has intereſſe, quemadmodum reverà in [c] pluribus nullum eſt diſcrimen.

Quare fallimur Paralogiſmis Accentus?

5 Quia ſimiliter neſcimus diſtinguere inter vocem contentam & vocem remiſſam. Aut enim in nulla re, aut ſaltem non in multis videtur idem ſignificare contentum & remiſſum verbum.

6 *Quare fallimur Paralogiſmis Figuræ dictionis?*

Quia ignoramus diſtinguere inter idem & diverſum: inter ea, quæ eodem, & quæ diverſo modo dicuntur: hoc eſt, quia non perſpicimus in qua re voces ſunt ſimiles, in qua re ſunt diſſimiles. (Ferè enim qui poteſt hæc facere, propè eſt, ut quid in quaque re verum ſit, cognoſcat, maximè ſcit annuere, hoc eſt, concedere quæ concedenda ſunt.) Quicquid enim alicui attribuitur, ſivè de aliquo prædicatur, nos ſtatim exiſtimamus illud eſſe hoc aliquid, & quaſi vnum quiddam accipimus, hoc eſt, ita huiuſmodi accipimus quaſi individuū ſit, & vnam numero Naturam ſignificet. Nam *vni* & *ſubſtantiæ* maximè videtur conſequens eſſe *hoc aliquid*, & *ens quoddam ſingulare*, cum tamen reverà & naturâ

naturâ suâ non hoc aliquid, sed qualequid, id est, non Naturam singularem, sed vniversalem & multis communem significat. Quia itaque ignoramus huiusmodi distinguere, ideò facilè, & sine vllo negotio in hanc Fallaciam præcipites incurrimus. Quocirca hæc Fallacia meritò in iis, quæ in *dictione* consistunt, anumeranda est.

Quomodo probas Fallaciam Figuræ dictionis *oriri* [d] propter dictionem, *hoc est, in verbis potiùs, quàm in rebus consistere?*

His tribus rationibus illud probare possum. Primò quia per hanc Fallaciam magis decipimur, dum aliquid cum [e] altero tractamus, quàm cum apud nosmet ipsos eandem ipsã rem perpendimus. Ergo hæc Fallacia in verbis, non in rebus consistit. Argumentum patet: quia cum aliquid cum altero tractamus, per sermonem hoc ipsum instituimus: quod verò apud nos taciti cogitatione perpendimus, non tam ad verba, quã ad rem ipsam pertinet. Ergo si magis decipiamur, dũ cum altero rem tractamus, quam cum animo apud nosmet ipsos eandem revoluimus, ex *verbis*, non ex *rebus* oritur hæc Fallacia. 1

Secundò, si contingit nos per hanc Fallaciam decipi, dum taciti animo apud nosmet ipsos rem perpendimus, hoc fit, cum rebus consyderandis sermo adhibetur, hoc est, non cum ipsam rem simpliciter sumptam consideramus, sed cum ea consideramus sermonem & verba tanquam ipsius signa. Ergo hæc Fallacia in *verbis* non in *rebus* consistit. Deceptio enim oritur propter similitudinem sermonis seu dictionis. 2

Sermonem hic intellige non tam externum, quã internum, vel potius in genere sive sit sermo internus sive voce prolatus, sive scriptis comprehensus. Pacius.

Tertiò, omnes Paralogismi huius Fallaciç oriuntur ex similitudine non in re significata, sed in dictione rem significante. Nam similitudo Dictionis, quam vocant similem dictionis figuram, facit vt fallò putemus esse candem rem. Ergo hæc Fallacia in dictione 3

consistit.

Iam accedamus ad Fallacias,quæ in rebus consistunt.

1 *Quare decipimur Paralogismis* Accidentis?

Quia non possumus distinguere quod est idem, quod diversum:quod est vnum,quę sunt multa:quibus attributis sivè prædicatis convenire oportet, quæ rei sivè subiecto insunt,& quibus minimè.

2 *Quare fallimur Paralogismis* Consequentis?

Ob eandem causam,ob quam Paralogismis *Accidentis* decipimur, cum hæc sit illius pars, sicut ante dictum est in cap.pręcedente.Decipimur etiam Paralogismis huius fallaciæ,quia ignoramus distinguere inter *Consequens* & *Antecedens*. Nam sicut sublato consequente tollitur Antecedens:ita putamus,sublato Antecedente,tolli etiam & Consequens,quod tamen falsum est.

3 *Quare decipimur Paralogismis Fallacię ex* ignoratione Elenchi, *&* *Fallaciæ ex* Dicto secundum

4 quid ad Dictum simpliciter,*& è contra?*

Quia non possumus distinguere res parum inter se distantes: quæ in posteriori Fallacia sunt *Dictum secundum quia,& Dictum simpliciter*:in priori verò *idem & diversum*. Nam quasi nihil plus significet, *esse quidpiam, aut quadam ex parte*,quàm *esse omnino*,aut verò *esse quodamodo*, aut *hoc tempore*: ita in *toto genere* ac *simpliciter* concedimus.

Hæc est quod ait in tex *Vniversaliter enim concedimus, quasi hæc nihil adsignificet, simpliciter quodammodo, Nunc.*

Quare fallimur Paralogismis harum trium Fallaciarum,nempe Petitionis principii,*Ex* non causa vt causa,*&* Secundum plures interrogationes?

Quia similiter non possumus distinguere inter res,quę exiguum videntur habere discrimen, quia scil.non satis subtiliter & accuratè definitionem Propositionis &
5
6
7
& Syllogismi consideramus ob eam,quam suprà diximus,causam.

SCHO-

SCHOLIA IN CAP. 6.

a *IN omni Paralogismo duæ sunt causæ: vna defectus, quam vocant causam non existentiæ: Altera apparentiæ sivè deceptionis: Atq; hæc provenit vel ex parte Opponentis, sivè locorum; vel ex parte Respondentis. Illa omnes locos sophisticos seu Fallacias comprehendit: hæc verò est imperitia Respondentis, distinguere nescientis. Illa dici potest* causa originis: *hæc verò* causa deceptionis, *seu* apparentiæ. *De hac posteriori in hoc capite agitur.* Paralogismorum duæ sunt causæ.

b *De horum verborum explicatione vide Aristotelem cùm alibi, tùm* 1. *Top. cap.* 6. & 14. *Metaphys. cap.* 9.

c *Multæ possunt assignari orationes coniunctæ et divisæ. quæ idem significant, & eundem sensum retinent, nihilq; discriminis veritatis aut falsitatis admittunt: Qualis est hæc oratio:* Qui currit nunc currit: *& in his non habent locum hæ duæ Fallaciæ.* Lovan.

d *Zeno (inquiunt Lovanienses) Fallaciam Figuræ dictionis locis Sophisticis* extra dictionem *annumeravit. Refert Albertus Aristotelem potiùs in Fallacia Figuræ dictionis, quàm in vllis cæterarum instare, quia maiorem habet similitudinē & convenientiā (vt loquuntur) cū Fallacijs* extra

dictionem, *quàm cætera: quæ quidem conveni-*
1 *entia præcipuè est in duobus. Primò quia, sicut in Fallacijs* extra dictionem *præmissæ frequenter sunt veræ, & nō est aliquis defectus in eis, veluti in hoc Paralogismo Accidentis:*

Animal est genus.
Homo est animal.
Ergo homo est genus:

Ambæ præmissæ sunt veræ, & defectus est solum in comparando præmissas ad conclusionem: ita in Fallacia Figuræ dictionis non est defectus in præmissis, sed in comparandis præmissis cum conclusione. Vt:

Iste dat vnum solum denarium.
Sed non habet vnum solum denarium.
Ergo dat, quod non habet.

2 Secundò, *in Paralogismis Figuræ dictionis accidunt loci* Sophistici extra dictionem: *vt* Accidens & Consequens: & *ideò* Zeno *hanc Fallaciam inter locos Sophisticos extra dictionem annumeravit.*

e *Quamuis in sermone, quo disputamus cum alio, fiat omnis Fallacia, secundum quod sermo est instrumentum, quo in disputando vtimur: sermo tamen non semper est causa Fallaciæ seu deceptionis: sed in Fallacia* extra dictionem *causa & motivum ad decipiendum est res, quamvis sermone tanquam instrumento ad rem illam exprimen-*

mendã vtamur. Ex hoc loco duplicem disserendi & exquirendi, seu veri seu falsi rationem nota: Altera est, cum ipsi tacitè nobiscum rem expendimus: Altera, cum sermonem cum adversario miscemus: in hunc locum vide lib. 1. Top. cap. 2. & 8. Top. cap. 1. Mathisius.

ANALYSIS
CAP. 7.

ARGUMENTUM.

CVm duplex sit vitiosus Syllogismus, vnus apparens, qui videtur esse Syllogismus, sed non est: Alter sophisticus sivè falsus: cumq; hactenus ex quibus locis prior ille colligatur, exposuerit: in hoc cap. exponit, ex quibus locis seu principiis hic posterior oriatur. Oritur igitur ex iisdem locis, ex quibus prior ille, scil. ex tredecem Fallaciis. Tres sunt partes huius cap. Primò ostẽdit ex iisdem locis fieri Sophisticos Elenchos & syllogismos, ex quibus fiunt apparentes syllogismi: vbi Sophisticum Syllogismum & Elenchum dividit in Syllogismum peccantem in Forma, & peccantem in Materia. Secundò ratione confirmat vtrumq; Syllogismum ex iisdem locis deduci. Tertiò ostendit Sophisticum Elenchum non esse simpliciter & absolutè Elenchum.

Ex quibus locis fiant Syllogismi apparentes, qui videntur esse syllogismi nec sunt, ex ijs, quę dicta sunt, tenemus: Nunc hoc mihi expedias velim; Num his cognitis, tenemus ex quibus etiã fieri possũt Sophistici Syllogismi & Elenchi?

Maximè.

Maxime. Nam ex locis suprà expositis, nempè tredecem Fallaciis, & ex ignoratione Elenchi colliguntur non solum ii, qui videntur Syllogismi & Elenchi, sed etiam falsi & Sophistici: vnde Syllogismi apparentis, & etiam Sophistici eadem est origo, & eadem principia.

Quid vocas Sophisticum Elenchum & Syllogismum?

Voco Sophisticum Elenchum & Syllogismum, non solùm eum, qui falsa quadam specie videtur esse Syllogismus, qualis est, qui peccat in Forma: sed etiam qui reverà est Syllogismus vel Elenchus, sed falso videtur esse proprius rei, de qua agitur: qualis est, qui peccat in Materia. Tales sunt, qui non ex re ipsa adversarium redarguunt, nec manifestam faciũt ipsius imperitiam quôd erat Pirasticæ sivè Tentativæ facultatis proprium. Pirastice enim est pars Dialecticæ, quę potest falsum concludere propter imperitiam & ignorantiã eius, qui huiusmodi argumentationem concedit.

Ergo Sophistici Elenchi, non sunt tales, quales sunt Elenchi, qui ex Parastice ducuntur.

Non sunt. Nam Elenchi, qui ex Pirastice ducuntur ignorantem detegũt, vt dictum est: Sophistici autem Elenchi etiamsi concludant contradictionem, tamen non faciũt manifestum, an adversarius sit penitùs ignarus & imperitus: quoniam non solùm ignorantẽ, sed scientem & eruditum hisce argumẽtationibus sophistæ impediunt: eiq; tenebras offundunt: quod quidem Pirasticæ Facultatis Elenchi non præstant. Hi enim non scientem, sed ignorantem tantum decipiunt.

Quomodo probat Syllogismos Sophisticos eadem methodo haberi, qua apparentes & sophistici Elenchi habentur, hoc est, vtrosq; ex iisdem

locis

locis sivè principiis (sicut antè posuisti) originem ducere?

Hac ratione illud probo. [b] Ex quot quibusq; causis solet videri auditoribus ex iis, quæ interrogata sunt, benè, & necessariò rem confici, iisdem & tot Respondēti idem illud videri cōsentaneum est. Ergo ex illis, quos exposuimus, locis (hoc est Fallaciis) aut omnibus aut certè nonnullis Sophistici Elenchi & Syllogismi originem ducunt. Antecedens prob. Nam quod non interrogatus quispiam, hoc est, auditor se admisisse existimat, idem profectò interrogatus, id est, Respondēs etiam admitteret: quamvis in nonnullis Elenchis & Syllogismis Sophisticis accidit, vt simul ac interrogātur, ea quæ ad perficiendam conclusionem deerant, falsitas statim detegatur ac appareat: quales sunt paralogismi, quæ in dictione consistunt, & ii qui adversarium ad Solœcismum perducunt. Argumentum patet: quia Syllogismi contradictionis, id est, qui peccant in Materia, in eo consistūt, quòd videtur Elenchus, cùm non sit. Quare si ex iisdem locis solet videri auditoribus & Respōdenti cōclusum esse, cum non sit, falsi etiam Syllogismi, hoc est, qui peccant in Materia ex iisdem locis, ex quibus Syllogismi peccantes in Forma Originem ducunt, nempè ex eo, quòd vterq; videatur Elenchus, cum tamen neuter sit Elenchus.

Quare vterq; Syllogismus non est Elenchus?

Quia in vtroq; aliqua pars definitionis Elenchi ignoratur, vel omittitur.

Qua ratione illud ostendis.

Inductione. Nā si paralogismos vniuscuiusq; Fallaciæ percurramus, hoc ipsum patebit. Ex eo enim quod cōclusio non evenit propter argumentationē, hoc est, non colligitur ex iis, quę sūt posita, oritur ille Paralogismus, qui

Quamvis singulæ hæ particulæ, quas hic recenset Arist. expres-

se non ponũtur in definitione Elenchi: tamen necessario veniunt intelligendæ.

qui ducit ad impossibile, hoc est, Paralogismus *ex nõ causa vt causa*. Paralogismus *secundum plures interrogationes* accidit, eò quod natura propositionis (quæ est Elenchi pars) non rectè perspiciatur. Qui ex *Accidẽte* ducitur, & qui huius pars est, nempe Paralogismus *Cõsequentis* inde oriuntur, quod pro eo, quod per se est, id sumitur, quod est per accidens. Illi Paralogismi quorũ conclusio non ad rem, sed ad nomen & sermonem pertinent, manifesto peccant contra definitionem Elenchi, quia in ijs non est contradictio vnius & eiusdem rei, quales sũt Paralogismi *Homonymiæ & Amphiboliæ*. Prætereà adversus id, quod diximus, oportere contradictionem esse vniversaliter, & secundum idem, & non idẽ & eodẽ modo, omnes captiones peccãt, quę cõtra aliquod horum aut vnumquodq; horum peccat: Quales sunt Paralogismi *à Dicto secũdum quid ad Dictũ simpliciter* & è contra: & paralogismi ex *ignoratione Elẽchi*. Postremò adversus illam particulã definitionis Elenchi *non connumerato eo, quod in initio quæsitũ fuit*, delinquũt paralogismi *petitionis principii*. Quare omnes locos, ex quibus fiunt Paralogismi, tenemus. Nã iis, quos exposuimus, plures esse nequeunt, & ad eos paralogismi omnes reduci possunt.

Num Sophisticus Elenchus est simpliciter & absolutè Elenchus?

Non est, Nam neq; naturâ suâ, neq; specie aliqua est apud omnes Elenchus: sed apud hũc vel illum, qui deceptus credit illum esse Elenchum: Idem dicendum est de Sophistico Syllogismo.

Vnde illud constat?

Ex eo, quòd nisi quis putet aliquod Multiplex sive ambiguum, sicut in Homonymia contingit, vnã habere significationẽ, aut quis credat aliquod commune significare solum hoc, i. rem singularẽ, vt in in Fallacia *Figuræ dictionis*, eodẽq; modo in aliis, illi nullo modo

Elenchi

Elenchi aut Syllogismi erũt,hoc est,nec apud omnes, nec apud eum, qui interrogatur, nempè Respondentem: sin autem sumat vocem ambiguam habere vnam tantum significationem,aut vocem aliquã communem significare rem quandam singularem,aut huiusmodi sumat,quòd sumendum non erat,tũ certè erunt Elenchi & Syllogismi adversus eum, qui interrogatur,simpliciter autem,& apud omnes non erunt: quia non sumpserunt,quod vnam rem significaret,sed quod significare videtur, idq; ab hoc Respondente duntaxat, quòd imperitus esset.

SCHOLIA IN CAP. 7.

a *NOta discrimen inter Pirasticũ sivè Tentativum Syllogismũ,& Sophisticũ: Ille in Modo & Figura cõcluditur: Hic plerũq; nõ cõcluditur: Ille ignorantẽ detegit & manifestã facit ipsius imperitiam: sicut videre est in Protagora,Gorgia & alijs Dialogis Platonis: Hic non item,quia viri Docti hoc decipiuntur.*

b *Nonnulli rationem Arist. sic colligunt, Iisdem locis ac modis capiuntur in disserendo tum ij, qui audiunt, tum ij qui respondent: at modi,quibus audientes in disserendo capiuntur, sunt apparentes, quibus Respondentes ij sunt sophistici. Ergo apparentes & Sophistici modi idem sunt, ijsdemq; ex causis & locis promanant: Propositio & cõclusio ipsius Arist. verbis proponuntur: Assumptio subintelligitur. Ego rationem philosophi non eodẽ prorsus modo collegi, quamvis, si ipsius sensum respiciar,*

spicias, non multum intersit. Pacius hunc locum ita explanat. Finge, inquit, in auditorio disputari: ibi est Opponens, Respondens & auditores. Respondens posuit certas Theses: vnam impugnat Opponens: Hæc impugnatio est Elenchus, quo redarguitur Respondens, non redarguuntur Auditores, qui eam Thesim defendendam non susceperunt; &, si est Sophistica impugnatio, est Sophisticus Elenchus. Quoniam ergo eadem Argumentatio est Sophistichus Elenchus, seu videtur Elenchus respectu Respondentis, & est tantum Sophisticus Syllogismus, seu videtur Syllogismus respectu Auditorum, qui scil. non magis possent soluere, quàm Respondens: in re autem ipsa nullum est descrimen: hinc manifestum est, eâdem methodo inveniri tam illos Syllogismos, quàm hos Elenchos, id est, sumi ex iisdem locis, nempè ex illis tredecem, quos antè declaravimus. Et Paulò post: Quod ad formā huius ratiocinationis (inquit) attinet, paulò aliter ab Aristotele deducitur. Cōsiderat enim Auditorē, respectu cuius non est Elenchus, sed tantum Sophisticus syllogismus: & inquit: Cum hic Auditor decipiatur, quia putat ea esse concedenda, quibus concessis extruitur Elenchus Sophisticus; certè si ipse teneret locum Respondentis, ea concederet, & Elencho redargueretur. Eadem igitur ratiocinatio contra eum non est Elenchus, & eadem contra eundem fiet Elenchus, si suscipiat partes Respondentis

dentis. Ergo iidem sunt loci Syllogismorum falsorum, id est, decipientium, et Elenchorum Sophisticorum. Nam quod Auditor non interrogatus putat se debere concedere, vnde extruitur Syllogismus Sophisticus, id si interrogaretur, putat concedendũ. Hæc Pacius.

ANALYSIS.

CAP. 8.

ARGVMENTVM.

EXplicatis locis Sophisticis, ex quibus Elenchi Sophistici oriuntur: in hoc cap: agitur de locis Elēchorũ in genere, ex quibus scil. non solùm falsi, sed etiam veri deducuntur. Duæ sunt præcipuæ partes huius capitis: In priori parte ostendit Philosophus non spectare ad Dialecticum omnium Elenchorum locos perspectos habere: quia hoc sine rerum omnium scientia pręstari nequit. In posteriori parte exponit quorum Elenchorum locos Dialecticus debeat cognoscere.

Num oportet Dialecticum locos omnium Elenchorum, quibus homines redarguuntur, cognoscere?

Non oportet. Nam hoc sine rerum omnium scientia cognosci non potest: vnde nulla est ars vna, quæ hoc præstare queat. Quare Dialecticus non debet, nec potest omnium Elenchorum locos perspectos & cognitos habere, cum ferè infiniti sint, nec vnius & eiusdem

eiusdem generis.

Quomodo probas Elenchos esse definitos, & non esse eiusdem generis?

Hac ratione. Infinitæ sunt Demonstrationes. Ergo infiniti sunt Elenchi. Antecedens prob. quia infinitæ ferè sunt scientiæ, & vnaquæq; suas habet Demóstrationes, suos terminos & sua principia. Argumentũ patet: quia omnes Demonstrationes sunt Elenchi, iiq; veri. Nihil enim Demonstratione concluditur, quod idem Elencho confici non possit, neq; vlla est Demõstratio, quæ non sit Elenchus, quæ redarguit eum, qui Thesim veritati contradicentem posuerit: vt siquis hanc falsam conclusionem defendat,

Diameter habet communem mensuram cum latere:

Poterit quispiam Demonstrationem conficere, qua probabit [a] *Diametrum non habere communem mensuram cum latere*: vnde vero Elencho eum redarguet. Quare omnium rerum scientiam habere oportet eum, qui omnium Elenchorum locos exploratos habere velit. Alii enim Elenchi ex Geometriæ, aliæ ex Medicinæ aliæ ex aliarum cuiusq; generis scientiarum principiis & [b] conclusionibus ducuntur.

Num sicut veri Elenchi sunt infiniti, nec eiusdem generis ita etiam & falsi Elenchi?

Maximè. Nam sicut in omnibus sunt veri Syllogismi & veri Elenchi: ita in omnibus sunt falsi Syllogismi & falsi Elenchi. Vt: in Geometria Geometrici, & Medicina Medici: vnde nulla est vera conclusio, quæ Demonstratione concluditur, quam falsigraphus impugnare non conatur, cuiusq; contradictorium Syllogismo deceptorio sivè ignorantię non concludit. Ergo sicut infiniti ferè sunt veri Elenchi: ita & infiniti sunt falsi: quorum omnium etiam locos cognoscere ad Dialecticum non pertinet.

Dubium.

Dubium.

Quomodo falsi Elenchi possint esse in aliqua Arte, sivè in scientia, cum in ea veri sint, nec ex iisdem principiis falsi & veri concludantur?

Solutio.

c Falsi Elenchi dicuntur esse in aliqua Arte vel scientia, quia sunt secundum illius principia, hoc est, quia habent materiā, hoc est, terminos illius Artis vel scientie, in qua fiunt veri. Ex iisdem enim terminis fiunt falsi Elenchi, ex quibus fiunt veri, & ex iisdem principiis

Cum ergo ad Dialecticum non pertineat omniū Elēchorum locos cognoscere: dicas mihi quorum locos exquirere ad eum pertinet?

Eorū tantum locos oportet Dialecticū exquirere, qui ad Dialecticā pertinent. Hi nāq; cōmunes sunt d omnibus artibus & facultatibus: vnde sicut ad quemlibet scientem & artificem pertinet considerare vtrum Elenchus, qui in sua scientia cernitur, hoc est, ex principiis conficitur, videatur tantū Elēchus, aut reverà sit, & quamobrem talis sit, explicare: sic ad Dialecticum spectat dispicere, an Elenchus, qui struitur ex communibus principiis, quæ sub nullam vnam Artem cadunt, sit verè Elenchus, an videatur tantū, cū non sit. Ergo ad Dialecticū pertinet cognoscere locos Elēchorum probabiliū, sivè eorū, qui videntur probabiles: sicut ad sciētem pertinet cognoscere locos & principia Elenchorum verorum & necessariorum.

Quomodo possumus cognoscere locos, ex quibus Elenchi probabiles, qui ad Dialecticum pertinēt, conficiuntur?

Ex locis probabilium Syllogismorum. Nam si locos teneamus, ex quibus probabiles syllogismi de qualibet re fiunt, tenemus etiā ex quibus probabiles Elēchi fiunt: siquidem Elenchus est syllogismus contradictionis:

 quare

quare aut [c] vnus aut duo Syllogismi contradictionis Elenchus est[d]. Ex quibus igitur Syllogismi & Elenchi probabiles fiant, intelligimus ex iis, quæ in libris Topicorum exposita sunt: simulque horũ solutiones: quoniam horum obiectiones sunt eorundem [f] solutiones. Ex quibus verò locis fiant Elenchi apparentes imperitis, ex iis intelligimus, quæ Arist. scripsit in his lib. de Sophist. Elenchis: loquor autem de iis Elenchis, qui videntur Elenchi, videntur (inquam) nõ cuivis, sed certis quibusdam, nempè imperitis. Nam infiniti sunt loci, si quis consideret ex quibus Elenchi videntur quibuslibet. Quare perspicuum est Dialectici esse notatos habere locos, ex quibus per communia principia oritur, qui Elenchus est, vel qui videtur Elenchus: vel Dialecticus, vel qui videtur Dialecticus vel Pirasticus sivè Tentativus.

SCHOLIA IN CAP. 8.

a *Non hic circuli, sed quadrati Diameter intelligitur, quæ est linea recta ducta ab uno angulo quadratæ figuræ ad angulum oppositum, dividens quadratum in duo triangula æqualia: Hæc linea non communi aliqua mensura cum latere eiusdem mensuratur. Vide quæ scripsi in ca, 2. lib, 1. de Demonst.*

b *Demonstratio non solum fit ex ipsis principijs, sed etiam ex conclusionibus priùs demonstratis per principia: sed illa Demonstratio dicitur universalis: hæc verò particularis. Vide quæ annotavi in 2. c, lib. 1. de Demonst.*

Prin-

c *Principia Artium siuè scientiarum sunt duplicia: Quædam sunt principia incomplexa siuè simplicia: vt subiectum scientiæ, & eius partes: Quædam complexa; ut propositiones immediatæ, ex quibus fiunt cõclusiones: quæ diuidũtur in principia propria, & in principia cõmunia. Cũ dicitur in contextu,* ꝙ falsi Elenchi sunt in aliqua arte, quod sunt secundũ illius principia, *nonnulli per*, principia, *intelligunt principia simplicia, quia scil. falsi Elenchi, siuè falsæ Demonstrationes habent idem subiectũ & eosdem terminos, quæ veri Elenchi habent: vnde Arist. in 9. c. lib. 1. de Demonst. ait quæstionem non Geometricam esse Geometricam quoad Materiam, nempè illius terminos, sed nõ quoad Formam, quia scil. male terminos coniungit. Alij hic accipi volunt* principia complexa, *sed malè applicata & intellecta. Nam sicut ex principijs Artis verè intellectis fiũt veræ Demõstrationes & conclusiones: sic ex iisdem male & perperam intellectis conficiuntur falsæ conclusiones, sicut habet Arist. lib. 1. Top. c. 1. Fit etiam falsa cõclusio ex oppositis principijs, sicut docet Arist. li. 1. Demonst. c. 2. in fine.*

Principia Artium sunt duplicia.

1

2

d *Principia communia ea dicuntur, quæ ad vnam certam & peculiarem scientiam non pertinẽt, sed quæ vel pluribus inseruiunt: vt illud:* Si ab æqualibus æqualia auferantur, quæ relinquuntur, sunt æqualia: *vel quæ omnibus inseruiunt. Hæc vtraq; principia dicuntur Dialectica: quia Dia-*

Principia communia.

lecticus ex ijs ratiocinari solet, sicut Demonstrator ex proprijs. Principium commune hoc est: Omne totum est maius sua parte.

e *Elenchus dicitur contradictionis syllogismus, aut vnus aut duo, quia aut vno syllogismo, aut duobus disparatum sivè contradictorium concluditur. Lovanienses asserunt, q; si colligatur syllogismo vtraq; contradictionis pars, duo sunt syllogismi, saltem implicitè: si verò duntaxat vna pars concludatur, alteram defensitante Respondente, vnus erit Syllogismus.*

f *Iisdem soluitur Argumentatio, quibus struitur modis, vt Rodolphus ait lib. 2. c. 21. Cum ergo omnes Paralogismi ex aliquo loco Sophistico deducantur, eodem ipsi loco dissoluuntur, nimirùm cum Respondens ostenderit tales Paralogismos ad hunc vel ad illum locum sophisticum pertinere, vel saltem non rectè, aut non eo modo, quo debet, ex loco Dialectico deduci.*

ANALYSIS
CAP. 9.
ARGVMENTVM.

Hactenus Arist. sententiam suam de Locorum Sophisticorum divisione expoluit: In hoc cap. quandam divisionẽ Locorũ sivè Argumentorum tradit, quã Antiqui excogitarunt, & excogitatam defenderunt: quam, vt vitiosam, reiicit Philosophus. Quinque sunt partes.

partes huius capitis. Primò divisionem ab Antiquis excogitatam proponit. Secundò eandem esse vitiosam docet. Tertiò digressione quadam vtitur, in qua alium Antiquorum errorem convellit, nempè quod prius rationem Elenchi, quàm Syllogismi habuerint. Quartò reprehendit veteres, quod putarint Argumentationes Mathematicas esse *ad intellectum*, & multiplices esse *ad nomen*. Quintò ostendit contra alium errorē Antiquorum non esse munus Respondentis multiplicem sivè ambiguam vocem distinguere.

Quomodo Antiqui Dialectici dividebant Argumentationem?

Antiqui Argumentationes dividebant in Argumentationes πρὸς τοὔνομα, hoc est *ad nomen*, & in Argumentationes πρὸς τὴν διάνοιαν, hoc est, *ad sententiam*, sivè *intellectū*.

Quid est Argumentatio ad nomen?

Argumentatio ad nomen sivè non ad sententiam est, cum Opponens, qui argumentatur, nō vtitur nomine aut vocabulo in eadem significatione, in qua est concessum ab interrogato sivè Respondente.

Quid est Argumentatio ad sententiam?

Argumentatio ad sententiam est, cum Opponens intelligit nomen in eadem significatione, in qua Respondens concesserit.

Num hæc Argumentationū divisio est bona necne?

Non est: quia non fit per opposita membra. Nā Argumentatio *ad nomen* & Argumentatio *ad sententiam* non sunt diversæ, sed eædem prorsus.

Quibus rationibus hoc poteris confirmare?

His rationibus: quarum prima hæc est. Eadem Argumentatio potest & *ad nomen*, & *ad sententiam* pertinere. 1
Ergo non sunt diversæ. Antecedens prob. Si fieri potest, vt, cum nomen plura significet, Opponens, qui interrogat, & Respondens, qui interrogatur, putēt illud vnam tantum habere significationem, tum hæc eorum

Argumentatio est & *ad nomen*,& ad *sententiam* Respō-dentis:sed hoc fieri potest. Ergo & illud. Maior patet: quia,cum homonymum ponitur in Argumentatione, erit reverà,& naturâ suâ Argumentatio *ad nomen*, & non *ad sententiam*: cum verò Opponens & Respondēs illud homonymum vno tantum modo dici putant, idque in vna & eadem significatione sumunt, erit Argumentatio *ad sententiam*.Minor probatur exemplo. Nā [a] Zeno,& is qui cum disputabat *Ens* & *vnum*, quæ homonyma sunt & multiplicia, vno tantum modo dici putabant, ex quo tandem factum est à Zenone Argumentum,quo omnia esse vnum cōcluderet:hoc modo:

Ens est vnum.
Omnia sunt ens.
Ergo omnia sunt vnum.

Quare perspicuum est fieri posse,vt Argumentationes illæ,quæ aliquod multiplex aut ambiguum continent, & *ad nomen*,& *ad sententiam* pertineant.

2 Secunda ratio:Nulla est Argumentatio,quę nō potest pertinere *ad sententiam*.Ergo hæ duæ species non sunt diversæ,sed eædē.Antecedens prob. Quia illud, nēpè *pertinere ad sententiam*,non consistit in Argumentatione,sed in eo, quod Respondens hoc vel illo modo affectus est ad ea, quæ concessit. Vnde Respondens & Opponens possunt efficere,vt illa Argumentatio,quæ naturâ suâ *ad nomen* pertinet,*ad sententiam* vtriusq; accōmodetur:quia(vt dictū est)possunt illud quod multiplex est,& ambiguū,perinde sumere,ac si synonymū esset,& vnā tantum rem significaret. Quare nulla est Argumētatio, quæ nō possit ad *sententiā* pertinere.

3 Tertia ratio:Nulla est è contrà Argumentatio,quę nō potest esse *ad nomen*.Ergo hæ duæ species non sunt diversæ.Antecedens prob. Quia pertinere *ad nomen* in præsentia nihil aliud est, quàm non pertinere *ad sententiam*. Nisi enim omnes ad hæc duo genera referri possent,

possent, tum essent aliquæ aliæ, quæ nec *ad nomen*, nec *ad sententiam* pertinebunt: illi autem, qui hanc divisionem tradunt, dicunt ad alterum horum omnes Argumentationes pertinere, atque ita dividunt, vt omnes vel *ad nomen* vel *ad sententiam* pertinere fateantur, alias autem præter has nullas invenire posse.

Num omnes syllogismi, qui ex multiplici significatione ducuntur, pertinent ad nomen?

Non pertinent: Quamvis hoc ipsum Antiqui asseruerint. Nã absurdũ est omnes Paralogismos *intra dictionẽ ad nomẽ* pertinere. Ergo absurdũ est omnes Argumẽtationes, quæ ex multiplici significatione oriuntur, *ad nomen* pertinere. Argumentum sequitur: quia omnes Paralogismi *intra dictionem* ob aliquod Multiplex oriuntur, sicut priùs dictum est.

Num omnes Paralogismi, *qui* in dictione *consistunt, ex eo vim habent, quòd Respondens existimet eos esse tales?*

Nequaquam. Nam quidam sunt, qui non ex eo vim habent, quod Respondens hoc vel illo modo sit affectus, sed quia ipsa Argumentatio continet talem interrogationem, sivè præmissam, in qua aliquod homonymum sivè Multiplex reperitur.

Num malè & absurdè fecerunt Antiqui, qui, dum de Syllogismo & Elencho tractationem instituerint, priùs habuerunt rationem Elenchi, quàm Syllogismi?

Maximè. Nam cum Elenchus sit syllogismus, necesse erat, vt priùs de Syllogismo, quàm de Elencho dispicerent, cum nihil aliud sit falsus Elenchus, quàm fallax & fucatus syllogismus. Vnde fit, vt omnis captionis vitium vel sit in Syllogismo, vel in Contradictione, hoc est, in Elencho (Nam ad syllogismum oportet accedere, vt sit Elenchus) vel in vtroque. Vt autem singulorũ exempla subiiciam, illa captio,

b Quem contingit silere, contingit loqui.
Σιγῶντα contingit silere:
Ergo σιγῶντα contingit loqui.

Vitium habet non in Syllogismo, sed in Contradictione. Illa autem captio.

Aliquis dat unum solum denarium;
Sed unum solum denarium non habet:
Ergo aliquis dat, quod non habet:

Vtroq; modo vitiosa est. Nam neq; est Syllogismus, neque Elenchus, quia omnis Elenchus est syllogismus: hæc autem captio.

Circulus est figura:
Poema Homeri est c circulus:
Ergo poema Homeri est figura:

In Syllogismo vitium habet: quia constat ex quatuor terminis. *Circulus* enim, cum sit homonymũ, duos terminos continet, quia non in eâdem significatione in Maiori & Minori accipitur. Quod si argumẽtatio neutro modo sit vitiosa, vera erit & legitima.

Sed vt eò, vndè digressi sumus, redeamus: Num rectè dixerunt Antiqui Argumentationes Mathematicas siuè Demonstratiuas, quæ in scientiis reperiuntur, ad sententiam *pertinere?*

Nequaquam. Nam fieri potest, vt quis d *triangulum* putet esse verbum multiplex, isque interrogatus concedat de eo hanc affectionem, *habere duos rectos angulos, siuè tres æquales duobus rectis* demonstrari, non quatenus *Figuram* significet, sed aliquid aliud, puta corpus tali figurâ præditum &c. idem est de aliis huius generis Argumentationibus dicendum. Ergo Mathematicæ Argumentationes nõ pertinent *ad sententiam*, sed possunt etiam *ad nomen* pertinere.

Num rectè dixerunt Antiqui Argumentationes, in quibus ponitur homonymum, ad nomẽ *pertinere?*

Ne id quidem rectè. Nam fieri potest, vt Respondens non

non intelligat, nec putet id esse homonymum, quod re verà homonymum est. Ergo talis Argumẽtatio, in qua huiusmodi homonymum ponitur, non *ad nomen*, sed potius *ad sententiam* pertinebit.

Quo tandem modo Opponens debet interrogare, vt disputatio sit ad sententiam *Respondentis?*

Existimabant Antiqui Opponentem oportere interrogando, etiam ambiguam vocem, si quæ in interrogatione esset, distinguere hoc modo:

Sitné verum σιγῶντα loqui an falsum, an potiùs vno modo verum, alio modo falsum?

Si igitur Respondens concesserit illam orationem, *σιγῶντα loqui* nullo modo esse veram, & Opponens cõtra disputaverit: dicebant Antiqui hanc eius argumentationem *ad sententiam* pertinere, cum reverà non sit *ad sententiam*. Sed *ad nomen* eam pertinere negari non posset. Non est igitur vnum quoddam genus argumentationum, quod *ad sententiam* pertinet, sed quædam *ad nomen* spectãt. Nec tales sunt omnes, nõ dico qui sunt veri Elenchi, sed ne quidẽ, qui videntur Elenchi: sunt enim & qui *extra dictionem* Elenchi videntur: vt qui ducuntur ex *Accidente*, & alii nonnulli.

Nonné pertinet ad Respondẽtem distinguere si quod multiplex, aut ambiguũ proponat: hoc modo: cũ dico σιγῶντα λέγειν, volo intelligas, posse hoc, vel illo modo accipi?

Nequaquam. Nam si oporteret Opponentem distinguere, hæc absurda indè sequerentur. Primò, si oportet Opponentem distinguere, tum aliquando contingit, vt illud distingueret, quod non putaret esse multiplex: sed hoc absurdũ est. Secũdò, quia hoc esset docere Respõdentẽ. Hoc enim modo res, vt est, illi explicatur & declaratur, qui nec animadvertebat, nec sciebat nec omninò suspicabatur posse id, de quo interrogabatur, alio atq; alio modò accipi. Tertiò, sequeretur, quod

illud distingueret, quod multiplex non est, quod tamē ipse putat esse multiplex: sed hoc absurdum est. Ergo & illud. Exempli causa:

Nonnè quatuor vnitates æquales sunt duobus binarijs, qui sunt in quaternario?

Si quis distinguat, velim intelligas, vt binarij partim hoc, partim illo modo insint, distingueret quod non est multiplex. Aliud exemplum hoc sit,

Estné eadem contrariorum scientia?

Si Opponens sive interrogans distinguat hoc modo: velim vt intelligas contraria esse duplicia; quædā cognita, quædam incognita, absurdè faciet: quia illud distinguit, quod non est distinguendum, saltem hoc modo. Quocirca videtur ignorare, qui ista distinctione vtendum esse censet, aliud esse *docere*, aliud *disputare*, & quod oporteat docentem non interrogare, sed manifestum facere id, de quo agitur: disputantem verò, cum modò, qui cum disputatur, interrogare.

SCHOLIA IN CAP. 9.

a *MVlti fuere huius nominis, sed hic quem Arist. nominat, Zeno Eleates fuit, Parmenidis auditor, qui simul cum Perdicca & in Philosophia & in administratione Repub. clarissimus fuit. Hunc primum Dialecticæ inventorem fuisse tradunt. Quis autem ille fuerit, quem hic Aristoteles Zenoni Respondere scribit, nondum compertum habeo. Fingamus Melissum fuisse.*

b *Primus Paralogismus ad Amphiboliam, se-*

cundus ad Figuram dictionis, tertius ad Homonymiam pertinet: secundus paralogismus hoc modo etiam colligi potest:

Nemo dat illud, quod non habet.
Sed vnum solum denariũ non habet.
Ergo non dat vnum solum denarium.

In hoc paralogismo fit transitus à Substantia ad Quantitatem. Nam vox, illud, *in Maiori denotat* Sub*stantiam: vox,* solum, *in Minori Quantitatē significat.*

c *Cur poema dicatur circulus, quorundam opiniones recensui in c. 9. li. 1. Demonst. quæ iam mihi omni ex parte non arrident. Themistius dicit (vt ait Albertus) ꝙ poemata perfecta & absoluta dicebantur esse quasi circuli, & orbes quidam, in quibus* vz. *nihil desiderabatur: Hinc Arist. ait Poema Homeri circulum esse, quia instar circuli (quæ est Figura omnium perfectissima) & congruenter (vt ait Mathisius) & verbis & sententijs concinnatum est.* Poema cur dicatur circulus?

d *Sophista* triangulum *non solum pro* figura, *sed etiā pro* Deltoto *signo cælesti: aut pro numero, cèu ternario aut senario, qui apud Arithmeticos triangula sunt: item pro corpore triangulari sæpenumerò vsurpat, cum tamen is, qui falsigraphum Syllogismum conficit, in eadem significatione accipiat, qua à Demonstratore Geometra accipi solet, nempè pro figura triangulari.*

e *Contrariorum eandem esse scientiam, nihil aliud est*

est, quàm contraria ad eandem scientiam pertinere & in eâdem pertractari : sic ægrum *&* sanum *in Medicina:* bonum *&* malum *in Morali Philosophia pertractantur.*

ANALYSIS.

CAP. 10.

ARGVMENTVM.

IN hoc capite Arist. comparationem sivè collationē instituit inter Syllogismū Demonstrativum, Dialecticum, Pirasticum, Litigiosum, Sophisticum & Pseudographum. Quatuor sunt partes huius cap. primò cō parat syllogismum Demonstrativum cum Prastico, sivè demonstratorem cum Pirasta. Secundò duas species syllogismi Litigiosi & Sophistici enumerat, & ostēdit quomodo à Pseudographo distinguantur. Tertiò comparat Litigiosum cum Sophistico. Quartò iterum comparat Litigiosum cum Pseudographo.

Num Demonstrantis est Respondentē interrogare, vt quod interrogatur, ab eo affirmetur, vel negetur?

[a] Nequaquam: sed hoc potius est Tentantis & periculum facientis, qui Pirastica vtitur. Nam Pirastice est Dialecticæ pars: ideoq; sicut ipsa Dialectica per communia principia de omnibus considerat, nec non examinat, non cum, qui doctus est, sed cum, qui cū prorsus sit ignarus, rerum tamen sibi arrogat cognitionē. Qui igitur ex principiis non in specie tenus, sed reverà ratiocinatur [b] Dialecticus est: qui verò id facere videtur nec facit, Sophista.

Quotuplex est Syllogismus litigiosus & Sophisti*cus, quo* Sophista *vtitur?*

Duplex

Duplex:[e] vnus est, qui videtur Syllogismus de iis, in quibus Dialectica Pirastice versatur, etiãsi vera sit cõclusio, quia in causa tradenda fallit. Alter est paralogismus, qui, cum non sit secundũ rei methodum, tamen videtur secundum Artem esse.

Num falsæ descriptiones sivè falsigraphi Syllogismi sunt litigiosi?

Non sunt: quia hi sunt paralogismi secundum ea, quę Arti subiiciũtur, hoc est, constant ex propriis alicuius sciẽtiæ principiis, ne si illi falsigraphi verũ aliquid concludant: cum litigiosi ex communibus, falsigraphi ex propriis constent principiis. Exempli causa: ratio Hippocratis,[d] qua tetragonismũ probare, hoc est, circulũ, quadrare per lunulas conabatur, litigiosa nõ fuit, quia principio Geometrico erat conclusa: sed ratio, qua Bryson circulum quadraturã ostendere moliebatur, fuit litigiosa, & Sophistica, quia non est secundum Artẽ, hoc est, non propriè est ad illam rem accõmodata. Quare quæcũq; ratiocinatio ad rem accommodata videbitur, quæ non erit accõmodata, etiamsi sit syllogismus & necessariam habeat conclusionem, tamẽ litigiosa & sophistica erit appellãda, quia videtur esse secundum rem: proinde fallax & iniusta.

Quomodo illud probas?

Hac similitudine. Nam quemadmodum iniusticia sivè iniuria, qua in certaminibus adversarios & antagonistas afficimus, speciem quandam æquitatis præ se fert, & tamen reverà est iniusta quędam pugna, & iniqua certandi ratio: sic in contradictione sive in disputatione cum adversario, argumentatio qua vtimur, etsi ad rem accommodata videatur, est tamen litigiosa & iniusta. Nam vt in certaminibus, qui quavis ratione victores esse volunt, nihil non movent, nihil non tentant & aggrediuntur:

untur: ita in disputationibus idem faciunt, qui supra modum sunt litigiosi.

Quod statuis discrimen inter Litigiosos & Sophistas?

Litigiosi & litium amatores ii censentur, qui victoriæ tantum causâ captiosis Paralogismis vtũtur: Sophistæ verò appellantur, qui iisdem vtuntur ad lucrum faciẽdum.

Quomodo probas Sophistas eos appellari, qui quæstus causâ his Paralogismis vtuntur?

Ex definitione Sophistices. Est enim Sophistice χρηματιστικὴ ἀπὸ τῆς σοφίας φαινομένης, hoc est, facultas quædam lucrum captans ex ea, quæ videtur, hoc est, simulata sapientia. Ergo (argumento à coniugatis) Sophista est, qui lucrum captat ex simulata sua sapientia. Quo fit, vt Demonstrationes quasdam fucatas, quæ specie quadam veras imitantur, potissimum expetant Sophistæ.

Num iisdem argumentis vtuntur Litigiosi & Sophistæ?

Iisdem omninò quo ad rem & naturam, sed non quoad finem. Hoc enim distinguuntur. Vna enim & eadem argumentatio est Sophistica & litigiosa; verum non eâdem ratione, nec ob eundem finem. Nam quę victoriæ fucatæ causâ adhibetur, litigiosa est: quæ verò ad opinionẽ sapientiæ, ex qua lucrum captãt, cõfertur, sophistica. Etenim Sophistice est sapientia quędam, quæ videtur, cùm non sit.

Quomodo differunt litigiosus & pseudographus sivè falsigraphus Syllogismus?

Eodem modo, quo Dialecticus & Geometricus sivè Demonstrativus. Nam litigiosus eodem modo affectus est ad Dialecticum, quo pseudographus ad Geometricũ. Litigiosus enim ex iis vitiosè concludit, in quibus

quibus versatur Dialectica, nempe ex principiis cō-munibus: pseudographus verò ex iis fit, ex quibus Geometra suas ducit Demonstrationes: sed hic quidem non est litigiosus, quia ex principiis & conclusionibus Arti subiectis, hoc est, propriis conficitur: is verò, qui Dialecticæ subiicitur, hoc est, qui ex principiis communibus, in quibus versatur Dialectica, concluditur, aut videtur concludi, litigiosus est. Sicut his exēplis perspici potest. Illa enim ratio Hippocratis, qua per lunulas quadrari circulum posse demonstrabat, non est litigiosa: illa vero Brysonis, est litigiosa.

Quare Hippocratis ratio non est litigiosa, æquè atq; Brysonis ratio?

Quia Hippocratis ratio, cùm ex propriis Geometriæ principiis conficiatur, ad nullam aliam Artem, quàm ad Geometriam transferri potest: Brysonis autem ratio apud omnes etiam vsurpari poterit, qui Geometriæ prorsus sunt ignari, & qui nesciunt quid in quaque re fieri possit, & quid fieri non possit, quia congruet, hoc est, ad singula, quæ adhibebūtur, accommodari poterit. In hoc etiam genere est ratio, qua Antiphon quadraturam circuli ostendere conabatur: & etiam ratio [c] Zenonis, qua probabat *non esse bonum post cœnam ambulare*. Non enim ex propriis Medicinę principiis colligitur, sed ex communibus. Si igitur eodem planè modo affectus est litigiosus ad Dialecticū, quo pseudographus ad Geometram, non poterit profectò ex principiis propriis constare litigiosus, sivè contentiosus Syllogismus.

SCHOLIA IN CAP. 10.

a *Plærique interpretes initiũ huius capitis, superioris capitis fini connectunt. Quomodo Demonstrator soleat interrogare, vide quæ scripsi in c. 9. lib. 1. Demonst.*

b *Sicut Dialecticus ex communibus principiis raciocinatur: ita & Sophista vel ex communibus, vel ex iis, quæ videntur communia, solet argumẽtari: vnde circa idem genus, & circa eandem in genere Materiam versatur. De hac re ad hunc modum scriptum reliquit Arist. Enti (inquit) prout Ens est, quædam propria sunt, & hæc sunt de quibus veritatẽ considerare, Philosophi est. Signũ autẽ est, quod Dialectici & Sophistæ eandem quidem, quã Philosophus subeũt figuram. Sophistica enim apparens solumodo sapientia est: Dialectici quoque de omnibus disputant. Ens verò commune omnibus est. Disputant autem de his scil: eo quòd hæc propria Philosophiæ sunt. Circa idem enim genus Sophistica & Dialectica versatur cum Philosophia. Verum Philosophia ab hac quidem modo potestatis, ab illa vero electione vitæ differt. Dialectica autẽ est Tentativa, de quibus Philosophia est cognitiva; sophistica verò apparens, existẽs verò minimè: Hæc Arist.*

Lib. 4. Metaphil. c. 2.

Prior

c *Prior species syllogismi litigiosi & sophistici est, quæ peccat in Forma: unde Grouchius explicatiùs hanc definitionem tradidit hoc modo:* Ac ratiocinacinationum quidem contentiosarum & sophisticarum vnum genus est, quo omnes continentur, quæ cum ex iis rebus constent, in quibus versatur tentādi ratio, speciem habent syllogismorum, nihil tamen necessariò concludunt, etiāsi id verū sit, q concluditur. Istarum enim vitium est in verbo medio, in quo vis consecutionis posita est. *Sic Grouchius. Posterior species est, quæ peccat in Materia, & ideò in Materia peccare dicitur (inquit Mathisius) quòd communia principia tanquam propria adhibeat, ex quibus quoque disciplina propositum conficit.*

d *Confert τὰ ψευδογραφήματα cum posteriori specie Syllogismi litigiosi: Illa sunt, quæ ex proprijs cuiusque disciplinæ principijs conficiuntur:* Mathisius. *hæc videntur quidem confici ex ijsdem, sed reverà ex talibus non conficitur. Quæ hîc τὰ ψευδογραφήματα vocat, paulò infra τοὺς ψευδογράφους συλλογισμοὺς nuncupat. Quamvis οἱ ψευδόγραφοι συλλογισμοὶ propriè ij dicantur, qui in Geometria conficiuntur, & Demonstrationibus Geometricis opponuntur: tamen nonnumquam (vt in hoc cap.) generatim pro omni Syllogismo deceptorio seu ignorantia accipiuntur, sivè in Geometria, sivè*


in Arithmetica aut aliqua alia scientia conficiatur. Hinc Fabius Geometriam pro tota Mathesi usurpat, sic scribens. Nam cum sit Geometria divisa in numeros atq; formas: numerorum quidem notitia non oratori modò, &c.

Lib. 1. c. 10.


Circulum quadrare quid?

c Circulum quadrare nihil aliud est, quàm quadratam figuram describere, quæ sit æqualis alicui circulo priùs descripto. Tempore Aristotelis nemo potuit circulum quadrare, nec scientia, qua circulus quadrari posset, erat ab aliquo inventa: sicut ipse refert in Categoriys cap. de Relativis. Tres tamen in circulo quadrando magnoperè desudarunt: Bryson, Hippocrates Chius, & Antiphon. De Brysone mentionem facit Aristoteles lib. 1. Demonst. cap. 7. & lib. 1. Elenchorum cap. 10. De Hippocrate Chio & Antiphone lib. 1. Physicorum cap. 2. & eodem cap. lib. Elenchorum. Quomodo Bryson circulum quadravit, ostendi in cap. 7. lib. 1. Demonst. Quomodo duo reliqui eundem quadrabant, iam declarandum restat. Hippocrates Chius lunulas primò quadrabat: posteà inde colligebat quadrationem circuli: Ut legere est apud Simplicium 1. Physic. Hippocrates igitur argumentabatur ex principiys Geometriæ, sed in eo tantum peccavit, secundum Simplicium, quod cum probasset quadrationem lunulæ certo modo descriptæ supra latus quadrati, deinde ità accepit, ac si probasset de omnibus lunulis; unde posteà sine alia probatione sumpsit quadrati lunulas descriptas supra late-

latera hexagoni. Quoniam igitur non est usus principiis communibus, sed Geometriæ propriis, malè acceptis (Hanc enim propositionem, lunulas quadrari, *quæ est vera particulariter, accepit tanquã veram in universum) idcirco ratiocinatio Hippocratis dicitur esse Geometrica et pseudographa, non Sophistica.*




Pacius hoc pacto Hippocratem circulũ quadrare asserit.



Ioseph. Scal. hoc modo Hippocratem circulũ quadrasse testatur.

Antiphon dato circulo inscribebat quadratum: deinde singula quadrati latera dividebat in duas partes æquales, & à puncto, in quo singula latera dividuntur, usque ad circumferentiam circuli erigebat lineam rectam: postea à puncto, in quo hæc linea in circumferentiam circuli incidedebat, ad punctum, in quo quadratum tangit circulum, ducebat lineam rectam: & ita deinceps faciebat per totum circulum: sic ex figura quadrilatera constituebat figuram octo laterum, ita ut hæc octo latera propriùs ad circumferentiā circuli accederent, quàm latera quadrati. Eodem modo ex hac figura octo laterum efficiebat figuram sedecem laterum; & quia semper latera propiùs ad circuli circumferentiam accedunt, putavit sibi eò usque progrediendum, donec latera essent tam exigua, ut præcisè caderent supra circumferentiam circuli. Nam si hoc fiat, habebimus figuram multilateram circulo æqualem: et quoniam hæc figura est rectilinea, & omnis figura rectilinea potest quadrari, sine dubio quadratum æquale huic figuræ multilateræ erit æquale circulo. Nititur ergo Antiphō principio communi, quod cum possimus per divisionem & multiplicationem laterum propiùs accedere ad circumferentiam circuli, tandem poterimus latera constituere præcisè supra circumferentiam: quod est falsum & impossibile. Nam linea recta, quantumvis parva, non potest cadere supra circula-

cularem, sed vel manebit intra circulum, vel extra circulum eminebit. Ergo quia illud principium est commune, ideò syllogismus dicitur litigiosus, non pseudographus. Pacius.



Quadratura circuli iuxta Antiphontē.

Iosephus Scaliger, *quòd ad has Circuli quadraturas attinet, sic scribit. Quare (inquit) cum ille* μηνίσκου τετραγωνισμὸς, *id est, lunulæ quadratura nihil ad* κύκλου τετραγωνισμὸν *faciat, quomodo Hippocrates circulum per Lunulam quadrare conatus sit, ampliùs deliberandum. Nam non quadrasse, certum est. Neque veteres verò, neq; Aristoteles hoc aperiunt. Tantum colligimus ex primo de Natura eum instituisse principijs Geometriæ in quadrando circulo. Ibidem autem ait hoc fecisse per* τμήματα. *Quare obscu-*

 rissimum

rissimum est, quod inde colligimus, Antiphontē non servasse principia, Hippocratem servasse. Nā Hippocrates & Antiphon sumpserunt γεωμετρικῶς quadratum circulo inscripsum: Hippocrates quidē Lunulas duas quadrato æquales: Antiphon autem ipsum quadratum: Hippocrates, inquit Aristoteles, absoluit τετραγωνισμὸν διὰ τμημάτων; hoc est, tandem sumpsit peripheriam, tanquam hypotenusæ æqualem. Idem fecit & Antiphon: quod est contra Principia Geometriæ. Itaq; cum Aristoteles dicat alterum Geometricè, alterum non Geometricè rem tractasse, difficile est certum de toto negotio pronūciare. Hæc Scaliger. De circuli quadratura, si placet, plura vide apud Adrianum Romanum adversus Iosephum Scaligerum.

f *Ratio, qua probabat Zeno* non esse melius, vel bonum post cœnam ambulare, *hæc fuit. Moveri siue motum esse est impossibile. Ergo post cœnam ambulare impossibile est. Minor prob. quia spacium inter terminos motus, à quo scil. incipit, & ad quem tendit, infinitum est. Ergo pertransiri non potest. Ratio ergo, qua Zeno illam conclusionem probat, non est deducta à principio aliquo ipsius Medicinæ, ad quam pertinet illa conclusio, sed ex principio extraneo. Nempè quod motus non sit. Vide plures rationes, quibus Zeno tollebat motum lib. 6. Physic. cap. 8.*

ANALYSIS

CAP. II.

ARGVMENTVM.

HIc primò quasdam Dialecticæ affectiones & proprietates recenset Philosophus, quæ sunt numero tres. Secundò ostendit Pirasticen eiusdem generis esse cum Dialectica: vnde eædem proprietates huic etiam attribui possunt. Tertiò probat omnes homines, etiam idiotas, quodamodo Dialecticâ & Pirasticâ vti: vbi vtramque dividere videtur in Naturalem & in Artificialem siuè acquisitam. Quartò duo principiorum genera esse ostendit. Vltimò concludit locos Sophisticorum Elenchorum ad Dialecticam pertinere.

Recense quasdam Dialectici proprietates.

Inter Dialectici sivè Artis Dialecticæ proprietates hę annumerari possunt. Primò, Dialectica non versatur 1
in aliquo genere definito, hoc est, non habet certam
Materiam sive subiectum, circa quod versetur. Secun- 2
dò, Demonstrationes sivè Syllogismos Demonstrativos & necessarios non adhibet, quibus rem confirmet, vel refellat, sed probabiles tantū. Tertiò, Dialec- 3
tica non est talis, qualis vniversalis scientia, hoc est, non est vna quædam generalis scientia.

Quare Dialectica non est vna quædam generalis & vniversalis scientia, quæ de rebus omnibus considerare queat?

Quia nulla huiusmodi esse poterit. Nam cum scientia à subiecto, & principiis suis prorsus dependeat, non esse vnam vniversalem scientiam tum ratione

subiecti, tum etiam principiorũ confirmari potest his
1 duabus rationibus. Primò, non est vnum genus sivè subiectum rerum omnium. Ergo non est vna quædam vniversalis scientia rerum omnium. Argumentum patet: quia vnitas scientiæ dependet ab vnitate subiecti. Antecedens prob. Quia omnia in aliquo genere (saltem vnivoco) convenire non possunt.
2 Secundò, si concedamus vnum esse genus omnium, tamen non erunt eadem principia rerum omnium. Ergo nec vna scientia.

Quomodo probas Dialecticam non adhibere Demonstrationes, sicut reliquæ Artes adhibent?

Hac ratione: Quia nulla ars, quæ Demonstrationes adhibet, est percontratrix, hoc est, non vtramvis contradictionis partẽ interrogat, quia non potest vtravis pars contradictionis concedi, nec syllogismus Demonstrativus ex vtrisq; fit: sed Dialectica est percontratrix. Ergo Dialectica non adhibet Demonstrationes. Præterea, si admittamus Dialecticam Demonstrationes adhibere, illam certè oporteret si non omnia, at certè prima pronunciata & propria sua principia citra vllam interrogationem accipere. Nam alioqui, si adversarius ea non concederet, non haberet amplius, vnde id everteret, quod esset ab altero oppositum. Quia contra negantem principia non est disputandum.

Num Pirastice sivè Tentativa disserendi facultas est eiusdem generis cum Dialectica?

Maximè: vnde & Pirastica non est talis, qualis Geometria, hoc est, non est scientia, quæ certum habeat subiectum, quæq; Demonstrationes adhibeat, sed huiusmodi facultas, quam indoctus aliquis habere possit. Nam fieri potest, vt periculum faciat quis, qui rem nõ novit, de eo, qui est æquè imperitus. Hic enim respondendo concedit argumentationes, non quæ constant ex iis principiis, quæ novit, neque ex iis, quæ rei propria

pria sunt, sed ex consentaneis quibusdam & consequẽtibus rei, quæ [b] consequentia huius sunt, vt qui ea norit, nil tamen vetet eum Artem nescire, qui verò non norit, eum necesse est Artem ignorare. Ex his ergo perspicuum est Pirasticen non esse scientiam, cuius certum genus siuè subiectum assignari poterit, ideoq; in omnibus versari, hoc est, de qualibet re proposita disputationem suscipere. Omnes enim Artes [c] communibus quibusdam vtuntur principiis: idcircò omnes homines, etiam [d] idiotæ, quodamodo vtuntur Dialecticâ & Pirasticâ.

Quomodo illud prrbas?

Hac ratione: omnes, quibus communia principia cognita sunt, quodamodo vtuntur Dialecticâ & Pirastica, at omnibus hominibus (modo sanæ mentis sint) etiam idiotis, communia principia sunt cognita. Ergo omnes homines, etiam idiotæ, quodamodo vtuntur Dialecticâ & Pirasticâ, hoc est, de re qualibet possunt ratiocinari. Maior patet: quia ex communibus principiis cõstat Dialectica & Pirastica, vt dictum est: Minor prob. quandoquidem nemo est, qui ad aliquem modum nõ velit iudicium ferre de iis, qui aliquid profitentur, & idiotæ hæc non minus sciunt, quàm eruditi, etiamsi minùs aptè & citra vllam artem ex iis ratiocinentur. Quo fit, vt nemo sit, qui refellere & redarguere argumentis alterum non conetur.

Num omnes eodem modo adversarium redarguunt, & probabiliter ratiocinantur?

Nequaquam. Nam aliqui sine Arte, duce tantum Naturâ, ratiocinantur, & eius muneris sunt capaces, in quo Dialectica artificiosè versatur: Tales sunt idiotæ & homines indocti. Alii non Natura adiuti, sed Arte etiam syllogistica, hoc est, ratiocinativa instructi argumen-

argumenta, quibus de hominibus periculum faciant, aptè & concinnè conficiunt. Atq; hi sunt perfecti Dialectici, qui Artem ratiocinandi probe norunt.

Quot sunt genera principiorum?

Duo: Quædam sunt communia, quæ in omnibus reperiũtur, non tamen sunt eiusmodi, vt natura à quadam & certo genere contineantur, sed perinde sunt ac negationes. Quædam talia non sunt, sed propria.

Quid ex principijs communibus oriri potest?

Syllogismus Tentatiuus, & Ars quædam, non talis, quales sunt, quæ Demonstrant, Dialecticam intelligo.

Quid ex his concludis?

Concludo Syllogismũ litigiosum non omninò ita esse affectum, vt pseudographus est: quandoquidem litigiosus non vitiosè concluditur ex principiis definiti alicuius generis, sed in omni genere versatur: hoc est, non ex principiis propriis alicuius subiecti sivè scientiæ, sed ex communibus concluditur. Atq; hi sunt modi Sophisticorum Elenchorum.

Num ad Dialecticum pertinet cognoscere & considerare modos Sophisticorum Elenchorum?

Maximè: quod hac ratione perspici potest. Ad eã Methodum seù Artem, quæ in propositionibus pertractãdis versatur, pertinet considerare modos sophisticorũ Elenchorum: sed Dialectica est methodus, quæ in propositionibus pertractandis versatur. Ergo ad Dialecticam pertinet considerare modos Sophisticorum Elẽchorum, hoc est, locos ex quibus deducuntur. Atq; hactenus de apparentibus & fucatis Elenchis dictum sit.

Scholia

SCHOLIA IN CAP. II.

b NOnnulli tertiam proprietatem sic explicant: Dialecticus non est talis, qualis universalis Philosophus, *hoc est, Metaphysicus. Vnde asserunt Metaphysicam esse universalem scientiam. Quorum opinionem vt omninò non reiicio: ita nec omni ex parte recipio. Existimo enim Metaphysicam, si propriè loqui velimus, non esse universalem scientiam, quia (vt inquit hîc Arist.) tum omnia sub vno aliquo genere continerentur, & omnium essent eadem principia: quorum vtrumq; pro absurdo ducit. Nam si Arist. neget Dialecticam esse scientiam, quia certum & determinatum genus sive subiectũ non habet, quid ni negemus eâdem ratione Metaphysicam propriè esse scientiam, quæ omnium, sicut Dialectica, considerationem suscipiat? Nec multùm adiuuat illa distinctio de scientia universali & particulari. Liberum vnicuiq; iudicium relinquo.*

b *Per* Consequentia *hic Arist. intelligit principia communia, ideò fortassis, vel quia, vt vnumquemq; hominem ratio, ita & hæc principia, si intellectum depravatum non habeat, consequuntur, hoc est, generali Naturæ lumine hominibus cognita sunt: vel quia non sunt propria rei. Conse-*

quens

quens enim illud dicitur, quod rei convenit, sed ei proprium non est, quia latiùs patet, & pluribus quàm vni rei attribuitur. Horũ ignorantia vt nescientem arguit, ita notitia scientem non indicat. Vnde principia communia si quis noverit, non sequitur eum habere scientiam: sed si ea ignoret, fieri nequit, vt scientiam habeat.

c *Omnes Artes & scientiæ vtũtur formaliter (vt loquuntur) principijs proprijs: sed materialiter vtũtur principijs cõmunibus: quia his nõ vtũtur, vt sunt communia, sed vt restricta & coarctata sunt ad materiam sive subiectum Artis vel scientiæ, sicut docet Philosophus libro* 1. *Demonst. c.* 8.

d οἱ ἰδιῶται, idiôtæ *hic non significant homines privatos, qui vitam privatam agunt, quibus opponuntur* πολιτευόμενοι, *id est*, magistratus: *nec cives significãt, quibus opponũtur* ξένοι, *sed rudes, plebeios & imperitos, præsertim Artis Dialecticæ ignaros, sed non naturalis facultatis disserendi. Hi enim sicut omnes homines Naturâ adiuti, rationes & argumenta conficiunt, quamvis hoc secundum Artem præstare nequeant: vnde Rodolphus Agricola. Nonne (inquit) & ante inventam Dialecticam fuerunt artes, & disputatum est, & inventum est verum, & nunc quoq; quotusquisq; eorum qui disputãt, Dialecticẽ tenet? Non est quod negem hæc ita esse. Illi tamen, quod Dialectice docet, & faciunt, & fecerunt, multò cõmodiùs*

Ex disputatione Tentativa non colligitur aliquẽ esse doctum.

Lib. 2. de invent. c. 7.

modiùs, si hanc didicissent fortasse facturi. Et paulo post: Qui priores ergo (inquit) fuerunt Artibus, similia his ipsis, quæ nunc præcipiuntur (si quando rectè fecerũt) secuti sunt. Sicut hodiè plærique faciũt quod Artis est, sed non ex Arte: quippe quum nullam habeãt) sed vel longa observatione, vel ingenij quodam præstanti vigore. Quantò rectiùs tamen, quantoque meliùs expedirent illa, si certa Artium ratione ducerentur? Hæc Agricola. Hinc patet Dialecticam esse duplicem: vnam Naturalem: Artificialem alteram: illam imperiti habent, nec non habuerunt ij, qui ante Artem Dialecticam inventam extitere: hanc eruditi tantum possident. Dialectica duplex. Ibidem.

e Principia cõmunia dicuntur talia esse, quales sunt Negationes: quia sicut hæ nulli definito enti competere possunt: ita illa nulli certæ Arti aut scientiæ inserviunt, sed omnibus tum scientijs, tum scientiarum subiectis conveniunt.

f Ex hoc loco constat Artem etiam liberalem (vt loquuntur) esse duplicem: vnam, quæ in ratiocinando Demonstrationibus vtitur: Aliam, quæ Demõstrationes non conficit: Talem statuit Arist. esse Dialecticam & Pirasticen. Ars duplex.

ANA-

ANALYSIS.

CAP. 12.

ARGVMEMTVM.

CVm hactenus satis copiosè ostenderit quibus modis sophista adversarium ad primam Metam, nēpè, Elenchum ducere nitatur, iam exponit quibus modis ad cęteras Metas adversarium pertrahere conatur. Duæ sunt partes huius cap. In priori ostendit quibus modis Sophista ducit Respondentem ad Metam Falsi & Inopinabilis: in posteriori quibus modis ad Metam Inopinabilis tantum.

Quot sunt modi, quibus sophista adversarium, cum quo disputat, ad Metam Falsi, & Inopinabilis ducere conatur?

1 De hoc loco aliisq; nonnullis sequētibus vide Arist. lib. 8. Top. c. 1.

• Tres sunt: quorum primus ex certa quadam percōtandi sivè interrogandi ratione desumptus, hic est. Solet sophista eum, qui cum familiariter sermonem habet, nulla certa re proposita, tanquam aliud agens, nec animum disputandi habens, aliquam propositionem interrogare: alter ille interrogationem hanc non maximè curans, temerè ac sine prætmaturâ deliberatione respondet: vnde sophista hanc occasionem arripiens, statim, relicto priori sermone, ex hac eius responsione aliquā falsam & absurdā conclusionem colligit, quam Respondens evitare nequit, quia temerè & sine consilio respondit. Nam qui temerè respondent, & parum accurant, quid concedant, citiùs peccāt, et faciliùs capiuntur: temerè autem

tem respondent, qui nil vident propositum sivè constitutum, de quo disputandum sit.

Quis est secundus modus?

Secundus modus ex [b] interrogationum multitudine ductus, hic est. Sophista nonnunquam propositum non celat, sed profitetur se cum adversario de re aliqua disputaturum: et tum solet adversarium multa simul interrogare, & interrogationum multitudine onerare simulq; postulare, vt dicat Respondens quid sibi videatur, ac quid de singulis ipse sentiat: atq; ita eum interrogationum multitudine obrutum sive aliquid affirmet, sivè neget, eò loci perducit sophista, vbi argumentorum copia sibi suppetit. Nam qui multa simul interrogatur, fieri non potest, vt ad ea omnia rectè respondeat. 2

Num hic modus hisce temporibus perinde valet & locum habet, atq; olim?

Nequaquam. Nam cum constitutum sit de quo sit disputandum, minus dolosè minusq; malitiosè possunt agere sophistæ: quia si multa simul interrogent, illud statim Respondens quærit: Quorsum tam multa interrogas? Et quid ad id, de quo instituta est disputatio?

Quis est tertius modus?

Tertius modus sivè elementum perveniendi ad Falsum quippiã, vel Inopinabile, à dissimulatione ortum habet: & huiusmodi est: [c] Solent sophistæ nonnunquam nullum à principio constituere propositum, de quo disseratur, nec in initio interrogare adversus vllam Thesim: sed profitentur se discendi studio, non tentandi, aut cavillandi animo quædam interrogare. Dabit enim tandem occasionem argumento huiusmodi dissimulata rei consideratio, quo faciliùs Respondens ad aliquod Falsum, aut Inopinabile concedendum alliciatur. 3

Quis

Quis ex his tribus sophisticis locis proprius est, & maximè idoneus ad perducendum adversarium ad has Metas?

Secundus locus, nempè si Respondens interrogationum multitudine oneretur, & eò perducatur, vbi argumentorum copia opponenti suppetit, sed illud certè interdum rectè, interdum vitiosè fieri potest, sicut dictum est lib. 2. Top. c. 3. in loco à Digressione.

Ibi Arist. triplicem facit digressionē: Necessariam, probabilem, & sophisticā, quæ hic intelligitur.

Quot modis sophista ducere nititur adversarium ad [d] Paradoxa, sivè vt Inopinabile aliquod admittat?

1 Quinque modis: quorum primus ex opinionum varietate ductus, hic est. Solet sophista antequam cum adversatio congrediatur, primò videre quam [e] sectam Philosophorum sequatur is, qui cum disputaturus est: hoc cognito, statim adversarium interrogat aliquam Thesim, quam huius sectæ Philosophi contra multorum aut omnium ferè opinionem defendunt. Habent enim singulæ sectæ suas quasdam huiusmodi sententias. Est autem ad eam rem primum, veluti elementū, vt singularum sectarum [f] theses sive sententiæ inopinabiles inter propositiones accipiantur.

Quomodo dilui ac solui solet hic locus?

Huiusmodi captionum solutio satis apta affertur, si neget Respondens ex argumentatione sequi illud Inopinabile, quod colligit sophista, quod ipse maximè cupit, qui contendit.

Quis est secundus modus?

2 Secundus modus ex hominum voluntatibus & apparentibus sivè manifestis opinionibus, hoc est, ex sermonibus ducitur. Sed antequam ad hunc locum explicandum accedam, primò hoc notandum est, quod aliud fere est tacitum hominum iudicium, aliud palam loquuntur: vnde non omnes eadem [h] volunt ac dicunt: Sermones sivè orationes, quibus multi vtūtur, sunt

sunt honestissimi: voluntas autẽ & tacitum animi iudicium spectat ad id, quod maximè vtile videtur. Veluti nemo ferè est, qui non ita loquatur: *longe esse præstãtius mori honestè, quam iucundè vivere: Et præstantius esse in paupertate iustè vivere, quam ditari turpiter.* Sed tacita voluntas contraria sequitur. Nam homines contraria volunt; nempè vt vivant iucundè potiùs, quàm vt honestè moriantur: & vt turpiter ditentur potiùs, quàm in paupertate iustè vivant: Itaq; huius loci pręceptum hoc est: Si Respondens interiores hominũ voluntates defendat, tum sophista opponit externos & vsitatos hominũ sermones: sin verò vulgatos & tritos hominũ sermones tueatur, illico obiicit sophista occultas eorum voluntates. Quò fit, vt Respondens nequeat evadere, quin vtrovis modo Paradoxa, & ea quæ repugnant, concesserit: quandoquidẽ futurũ est, vt aut contradicat pervulgatis hominum sermonibus, aut occultis illorum voluntatibus: quorum vtrumque pro Inopinabili duci videtur.

Quis est tertius modus?

Tertius modus, qui latissimè patet ad efficiendum vt Paradoxa dicãtur (id quod [k] Callicles in Gorgia Platonis dicens inducitur: quodq; omnes veteres captionum vnicam ferè causam existimant) ex Natura & Lege, hoc est, ex contrarietate Naturæ & Legis desumitur. Vbi animadvertendũ est, quàm plurimos statuisse Naturam & Legem esse contraria: vnde dixerunt ea, quæ fiunt secundum Naturam, contraria iis esse, quæ fiunt à Lege: Veluti *iustitiam* secundum Legẽ esse honestam, secundum Naturã verò non esse honestã. Huius ergo loci preceptum, hoc est: si Respondens ea, quæ secundun Naturam sunt, defendat, statim sophista illi *Legẽ* obiicit. Sin vero Legẽ tueatur, ad Naturã eum illicò perducit: vnde effugere non potest, quin vtrovis modo Paradoxa concedat.

3

Nam *Lex* hic intelligenda est illa, quã vocant positivam, nõ naturalem, sed ei contrariã. præceptum.

Quid veteres illi vocabant id, quod est secundum Naturam, & id quod est secundum legem?

Vocabant *id secundum Naturam,* quod in qua q; re verũ est: *secundum legem* autẽ id, quod multitudini videtur, & quod in multitudinis opinione positum est. Vnde perspicuum est illius ætatis homines idem, quod qui hodie sunt, fuisse conatos, vt scil. Respondentem aut Elencho redarguerent, aut cogerent tandem aliquid dicere contra omnium opinionem.

Quis est quartus modus?

4 Quartus modus ex interrogationũ cõtrarietate sũptus, hic est. Solet sophista adversariũ id interrogare, quod ex vtraque parte Inopinabile quiddam continet. Sunt enim quædam interrogationes, quæ tales sunt, quibus respõdere non possis, quin in vtramq; partẽ dicas aliquod admirabile, & quod hominũ opinionibus repugnet: cuiusmodi sunt: *Vtrum sapientibus, an patri parere oportet?* Item. *Suntné facienda, quæ prosunt, hoc est, quæ vtilia, an quæ sunt iusta?* Item.[1] *Vtrum optabilius est iniuriam pati, an facere?*

Quis est quintus modus?

5 Quintus locus ex Sapientum sivè Philosophorum, & Vulgi diversitate ducitur. Vbi etiam notandum est in plurimis opiniones sapientum contrarias esse opinionibus vulgi sivè imperitorum. Huius ergo loci præceptum tale est. Si quis opinionem sapientum, qui in disputationibus versantur, in aliqua conclusione defendenda sequatur, tum solet Sophista opinionẽ vulgi illi opponere: sin verò vulgi opinionẽ amplectatur, statim Sophista sapientum opinionem illi obtrudit: unde Respondens evadere nõ potest, quin aliquod dicat, quod repugnat opinioni, vel sapientum, si vulgus tueatur: vel vulgi, si sapientibus adhæreat. Sapientes enim dicunt *omnẽ beatũ esse iustũ*: vulgus verò contrarium asserit. Ait enim

enim *regem esse beatum*, etiamsi iustus non existat. Huic enim inopinabile videtur *regem non esse beatum*, licet iustus non sit. Verum hic [m] quintus modus non multum differt ab eo, qui ex Legis & Naturæ repugnantia ducitur, qui est tertius modus. Lex enim est multitudinis opinio: sapientes verò secundum Naturam & secundũ veritatem loquuntur. Atque de modis, qui ad Paradoxa ducunt, hæc dicta sufficiant.

Hic quintus modus etiam non multum differt à quarto loco: vnde nonnulli hos quinque locos ad tres tantum reducunt.

SCHOLIA IN CAP. 12.

a *NOnnulli interpretes, præsertim veteres, quinq; locos faciunt, quibus sophista ducere conatur* Respondentem *ad Metam Falsi & Inopinabilis. Nam secundum modum in tres modos dividunt. Primus modus ex his tribus ibi traditur:* Item multa interrogare. *Secundus ibi:* Ac postulare: *tertius ibi.* Et sivè interrogatus. *Secundum ex his appellant,* Ex deductione ad aliud: *Tertium,* ex Respondentis commendatione. *Hos quinq; modos memoriæ adiuvandæ causâ duobus hisce versiculis comprehendunt:*

Cela, multa pete, lauda, transferre memento:
Discere te fingas, si vis concludere falsum.

Ego Alberium & contextum Aristot. secutus ad tres tantum reduxi: Non enim video quomodo ex secundo loco tres possint effici, præsertim, qui ex Respon-

spondentis commendatione desumitur, cum nullum de hac re verbum apud Aristot. reperiatur, sicut textum legenti apparebit. Alij secundum modum in duos distribuunt: prior dicitur ex Interrogationum multitudine: *posterior* ex Deductione ad aliud, *sivè* ex Digressione.

Cap. 11. b *Sic olim Pharisæos multa Christum interrogasse scribit Lucas his verbis. Quum autem hæc ad illos diceret, cœperunt legisperiti & Pharisæi graviter insistere, et captiosè interrogare eum de multis, insidiantes ei, & quærentes aliquid venari ex ore eius, quo accusarent eum. Hæc Evangelista. Pertinet ad huius loci explicationem id, quod à Solomone proverbiorum cap. 10. dicitur:* in multiloquio non deesse peccatum.

Cap. 20. c *Hac ratione Pharisæi & Herodiani, quos principes sacerdotum subornabant, Christum aggressi sunt. Et observantes (inquit Lucas) emiserunt insidiatores, qui se iustos simularent, vt caperent eum in sermone, traderentq; illum principatui & potestati Præsidis, & interrogaverunt eum dicentes: Magister, scimus quod rectè dicis ac doces, nec respicis personam, sed viam Dei cum veritate doces: licet nobis tributum dare Cæsari an non? Hæc Lucas. Hæc interrogandi ratio admodū periculosa censetur, vtpotè quæ sine suspicione alicuius doli homines decipiat. Nemo enim citius fallit, quàm is, qui se amicum esse simulat, iuxta illud:*

Tuta

Tuta frequensq; via est sub amici fallere nomen.

d *Ad metam Inopinabilis spectant illa interrogationes Pharisæorum, quibus conabantur Christum adducere, vt aliquid diceret, aut faceret quod populo displiceret, & multitudinis odium illi conflarent. Ut illa interrogatio Iohannis capite octavo. Numquid tu maior es patre nostro Abrahamo, qui mortuus est? Et illa Math. capite decimo nono: Licetné homini divortium facere cum vxore sua qualibet ex causa? quibus cum respondisset Christus, non licere: iterum interrogabant eum: Cur ergo Moses iussit dare libellum repudij, ac dimittere eam? Qua interrogatione putabant Christum Mosis autoritatem negaturum, atque sic in Metam Inopinabilis incidere. Huc etiam pertinent & illa interrogationes: Quare discipuli tui transgrediuntur traditionem seniorum? Non enim abluunt manus suas, cum edunt panem. Math. 15. Cur cum publicanis & peccatoribus sumit cibum preceptor vester. Math. capite nono. Quis potest peccata remittere, nisi solus Deus? Marc. capite secundo. Quare discipuli Iohannis & Pharisæorum ieiunant, tui autem discipuli non ieiunant? ibid. &c.*

e *Philosophorum sectam appellat Aristoteles τὸ γένος, genus: Cicero nunc sectam, nunc familiam, nunc disciplinam, nunc hæresim, nunc genus Philoso-* Mathisius.

Sectæ Philosophorum. losophorum dicit eodẽ modo. Diogenes Laertius lib. 1. sectas Philosophorum decem recenset: Academicam, Cyreniacam, Eliacam, Megaricam, Cynicam, Ereticam, Dialecticam, Peripateticã, Stoicam, & Epicureã. Ex his tres clarissimæ habentur Academica sivè Platonica, Peripatetica sivè Aristotelica & Stoica. Quæ singularum propriæ sententiæ sunt, vide Laert. in vitis.

f Nota aliter Thesim hîc dici, quàm paulò suprà: Hîc ponitur pro Paradoxo sivè admirabili sentẽtia alicuius Philosophi, quæ sit contra opinionem: Paulò antè pro quæstione disceptanda ponebatur. In priori sensu sumitur ab Arist. lib. 1. Top. c. 9. in posteriori lib. 8. Top. multis in locis. Thesis etiam sumitur pro principio Demonstrationis: cuius species sũt duæ: Hypothesis & Definitio: sicut docet Arist. lib. 1. Demonst. c. 2. (Theses.)

g Βέλεσις vel significat voluntatem ratione regulatam, quando nempè à ratione regitur appetitus: quo modo à Stoicis sumi solet, vt testatur Cicero 4. Tuscul. vel voluntatem rationi non obtemperantem: Atque sic hoc in loco sumitur. Mathisius.

h Aliud homines facere, aliud velle ostendit Socrates in Gorgia Platonis, vnde hic locus desumi videtur.

i Hinc convenit illud Isocratis in Parænesi. Μᾶλλον ἀποδέχȣ δικαίαν πενίαν, ἢ πλȣ̃τον ἄδικον &c. id est, paupertatem cum iusticia coniunctam opibus

malè

male partis anteponito. Nam iusticia pecunijs eò præstantior est, quòd hæ viventibus tantum prosunt, illa etiam defunctis gloriam parit: hæ vel malis hominibus contingunt, illam improbi nullo modo consequi possunt.

k *Callicles in Gorgia Platonis, sivè de Rhetorica ait Naturam & Legem esse contraria: & iusticiam, si Naturam spectes, esse bonã: si Legem consideres, non esse bonam. Legem etiam inventum timidorum hominum esse ait, qui veriti, ne à robustioribus læderentur, leges tulerunt. Ut hic locus meliùs intelligatur, non abs re fuerit verba ipsius Calliclis subiungere. Tu enim reverà (inquit) ô Socrates, ad eiusmodi importuna & concionatoria perducis, veritatem persequi te asserens, dum quæ Naturâ quidem non sunt pulchra, sed lege, adducis. Natura verò & Lex plærũq; inter se contraria sunt. Si igitur quis erubescat, et non audeat dicere quæ sentit, contraria dicere cogitur, quam sanè sapientiam etiam tu excogitasti, & in disputationibus malignè te geris. Si enim quis secundum Legem dicat, tu quæ secundum Naturam sunt, interrogas: si verò secundum Naturam, tu quæ secundum Legem: quemadmodum nunc in faciendo & patiendo iniusta, quum Polus id, quod secundum Legem turpius esset, diceret, tu Legem persequebaris secundum Naturam. Naturâ enim quidvis turpius est, quod etiam peius: velut* iniusta pati: *Lege verò* iniusta facere.

De hoc Gorgia vide lib. 2. cap. vult.

Neq; enim viri est hæc affectio, iniusta pati, sed mancipij cuiusdam, cui melius est mortuum esse, quàm vivere, si quis dum iniusta patitur, & irritatur, ipse sibiypsi opem ferre non potest, neque alij cuivis curam gerit. Verum arbitror, eos qui leges condunt, esse debiles, & de vulgi numero. Ad seipsos igitur & suam vtilitatem & leges condunt, & laudes ac vituperationes faciunt, perterrentes robustiores, & qui plus habere possunt, ut ne plus quàm ipsi habeant. Dicunt enim turpe & iniustum esse plus habere, & hoc est iniusta facere, si quis quærat, vt plus alijs habeat. Benè enim secum actum ipsi putant, si quod æquale est, habeant, vt qui sunt viliores. Quapropter lege quidem hoc iustum, et turpe dicitur, si quis plus, quam pleriq; alij habere quærat, & hoc iniusta facere dicunt. At Natura ipsa, vt puto, ostenderit iustum esse, vt præstantior plus habeat deteriore, & potentior impotentiore. Declarat autem multis in locis hæc ita se habere, tum in alijs animantibus, tum in totis hominum civitatibus ac generibus, quòd iustum ita iudicatum est, vt præstantior inferiori dominetur, & plus habeat. Num iusticia vsus Xerxes in Græciam arma movit? aut pater ipsius in Scythas? Sed & innumera alia eiusmodi quis recensere posset? At hi, vt arbitror, secundum iusti Naturam hæc faciunt, & per Iovē, secundum Naturæ legem: non tamen fortassis secundum hanc, quam nos cōdimus, qui optimos ac robustissimos ex nobis,

nobis, dum iuvenes sunt, assumimus, et velut leones formamus, & incantationibus ac præstigijs in servitutem redigimus, vt qui æqualitatem habere oportere dicimus, & hoc pulchrum ac iustum esse. Si verò exurgat vir iusta Natura præditus, qui omnia hæc excutiat & confringat, & vestra illa præscripta, & incantationes, & præsagias, & leges præter Naturam omnes evitet, ac conculcet, is dominus noster ex servo conspiceretur, & hic Naturæ iusticia reluceret. Hæc Callicles. Convenit cum hoc loco id, quod lib. 10. Metamorph. apud Ovidiũ Myrrha ait:

--Humana malignas
Cura dedit leges, & quod Natura remittit,
Invida iura negant.

l *Socrates in Gorgia Platonis ait peius esse* iniuriam facere, quàm pati. *Vera ergo (inquit) ego dicebã, quod neq; ego neq; tu, neq; quisquam alius homo optarit potiùs iniusta facere quàm pati. Est enim peius. Vide Arist, lib. 5. Eth. c. 9. & 10.*

m *Confert hunc locum cum tertio loco, qui ex Legis et Naturæ cõtrarietate desumitur; eò quòd sapientum iudicium Naturæ: vulgi autem sententia legi congruere videtur. At sic* legis *verbum non quemadmodum paulò suprà, vt ad Naturæ præscriptum lex confirmata sit, accipi debebit. Mathisius.*

ANA-

ANALYSIS.

CAP. 13.

ARGVMEMTVM.

IN hoc capite modos exponit, quibus Sophista adversarium ducere conatur ad Metam Nugationis & Solœcismi. Vnde duæ sunt ipsius partes. Primò agitur de Nugationis, secundò de Solœcismi Meta.

Quot sunt modi, quibus Sophista Respondentem ad Metam Nugationis adducere conatur?

Duo sunt: vnus quo ad [a] veram Nugationem: alter quo ad apparentem Nugationem illum pertrahit.

Recense modum, quo ad veram Nugationem illum pertrahit.

Modus, quo ad veram Nugationem Respondentem ducit, ex suppositione desumptus, hic est. Sophista priusquàm cum adversario sibi responsuro congreditur, supponit & efficere conatur, vt Respondens etiam supponat vel ipsi concedat Nomen & Orationem idem significare, hoc est, nomen per se sumptum & orationem, in qua illud ponitur, eandem habere significationem. Exempli causâ: *Duplum* est nomen: *Dimidii duplum* est oratio: si quis ergo concesserit *Duplū*, et *Dimidii duplū* idem significare, & nihil interesse, *Duplum*, an *Dimidii duplum* quis dicat, ad veram Nugationem à sophista perducitur, hoc modo:

Duplum est dimidii duplum.

Ergo

Ergo est dimidii dimidii duplum.

Et sic bis repetitur *Dimidii*: vnde vera oritur Nugatio. Argumentum patet: quia *Duplum* per se sumptum idem valet ex illa suppositione, quod *Dimidii duplum*: cum *Dimidium* sit ipsius correlativum: Ergo & in oratione cum illo termino *Dimidii*, dicendo *duplum Dimidii*, idem valet. Ergo si verum erit dicere,

Duplum est Dimidii duplum,

Verum erit etiam dicere:

Duplum est dimidii dimidii duplum.

Rursus, loco ipsius verbi *Duplum* ponatur *Dimidii duplum*, concludet Sophista ter vocem *Dimidii* hoc pacto:

Ergo duplum est dimidii dimidii dimidii duplum?

Eodem modo siquis supponat vel concedat quod vox *cupiditas* per se sumpta, & coniuncta etiam cum Genitivo *Jucundi* idem significet, quia *Cupiditas* ratione generis sui, quod est *Appetitio*, est Relativum, cuius Correlativum est *iucundum*, in veram Negationem incidet. Hoc enim supposito vel concesso, sic infert Sophista:

Cupiditas est iucundi appetitio.

Ergo cupiditas est iucundi iucundi appetitio.

Argumentum patet: quia cupiditas est iucundi appetitio, & ratione generis, vt dictum est, refertur ad *iucundum*.

Jn quibus locum habet hic modus?

Præcipuè in Relativis, idq; non solum iis, quæ [b] Relativa sunt ratione generis sui, sed etiam iis, quæ per se ipsa & ratione sui sunt Relativa, & ad vnum & idem referuntur. In priori genere est *Cupiditas*, quæ ad *iucundum* refertur ratione *Appetitionis*, quæ est ipsius genus: in posteriori est *duplum*, quod ad *dimidium* ratione sui & per se refertur.

Num in aliis, præterquàm in Relativis, locum habet

habet hic modus?

Maximè. Nam locum habet in quibusdam Accidentis absolutis, nempè in affectionibus sivè propriis passionibus: ᶜ Quæ per se sumpta non solum se ipsa significant, sed vnà etiam significant, & (vt loquuntur Dialectici) connotant subiecta, in quibus inhęrēt, quia per subiecta definiuntur. Exēpli causa: *par* & *impar* sūt propriæ passiones *numeri*, & per se accepta *numerum* simul significant. Definiuntur enim per *numerū*. Eodē modo *simum* est passio nasi, & per se sumptum significat *nasum*. Ergo si in his fiat falsa illa suppositio, committitur vera Nugatio: veluti si quis supponat, vel concedat *impar* per se sumptum, & *imparem numerum medium habentem*, idem significare, sophista hunc in modum illum aggreditur:

Impar est numerus medium habens.
Impar est numerus.
Ergo est numerus numerus medium habens,

Pari ratione, si quis supponat *simum* per se sumptum, & *simum nasum* idem significare, sophista eum in Negationem trahet hoc modo:

Simum est nasus simus.
Simum est nasus.
Ergo est nasus nasus simus.

Quando sophista ducit adversarium ad apparentem Nugationem?

2 Cum non supponit, nec petit à Respondente vt sibi cōcedat nomen per se sumptum & orationem idem significare: veluti an *Duplum* per se sumptum aliquid significet, & si aliquid significat, vtrum idem quod coniunctum cum genitivo *Dimidii*, an diversum significet: cum hoc (inquam) in principio prætermittit, si conclusionem inferat, videtur tantum Respondentem ad Nugationem perducere, cum reverà nō perducat: ac videtur propter idem nomen eadē esse res, atq; eadem signifi-

significatio, cum reverà non sit, neq; hoc ipsum concesserit Respondens.

Quot modis sophista cogit Respondentem, vt Solœcismum committat?

Duobus modis: primò [d] apparenter, sed non verè. Secundò [d] verè, & non apparenter. Nam quod ad prius illud attinet, fieri potest, vt quispiam reverà non committat Solœcismũ, qui tamen videatur committere. Exempli causa: [e] Protagoras putabat hæc duo vocabula, μῆνις & πήληξ esse Masculini generis, cum reverà sint generis Fæminini, is certè, qui his vocabulis in fœminino genere vtitur, sicut priori vsus est Homerus, cum diceret:

Μῆνις iram, πήληξ galeã significa: dicitur & πήληξ.

μῆνιν οὐλομένην, id est, iram perniciosam,

Reverà non committit Solœcismum, sed Protagoræ judicio Solœcismum committit. Quòd ad posterius illud spectat, fieri potest, vt aliquis committat Solœcismũ, qui tamen non videatur committere: vt si quis illa vocabula in Masculino genere vsurpet ac dicat,

μῆνιν οὐλόμενον, id est, iram perniciosum:

Reverà committit Solœcismum, etiamsi Protagoræ judicio non videatur committere. Perspicuum est igitur * Artem quandam, nempè sophisticam posse hoc facere, vt scil. [f] Solœcismus committatur, aut videatur committi: ideoq; multæ argumentationes, quæ non concludunt Solœcismum, videntur tamen concludere, sicut in Elenchis contingebat.

* Sophistica dicitur Ars impropriè.

Vnde præcipuè ducũtur Elenchi, quibus Solœcismus committi videtur?

Omnes ferè ducuntur ex articulo *Hoc*, vel ex casu incongruente, quandò scil nec Masculinum genus nec Fæmininum significat, sed quod est inter ista quoddam veluti medium. Nam *Hic* Masculinum declarat, *Hæc* Fæmininum, *Hoc* autem propriam seu mediam habet significationẽ, vt Neutrum horum declaret,

claret, sed tamen sæpè alterutrum eorum significat: veluti si quis interroget,

Quid est hoc?

Tria ista rectè responderi poterint:

Est [g] *Calliope.*

Est lignum,

Est [h] *Coriscus.*

Masculini igitur & Fæminini articuli sive generis omnes casus sunt diversi: Neutrius verò, quod est interiectum, partim iidem, partim diversi. Quò fit, vt sæpenumerò cum datum sit *Hoc*, perinde concludunt, acsi dictum fuisset *Hunc*: hoc est, quod in Nominativo Neutri articuli concessum est, ad Masculini accusativum alius transferat: aut alia quædam simili ratione casū pro casu accipiat: vnde paralogismus propterea fit, quod articulus *Hoc* multis casibus (nec nō generibus) sit communis, Nam interdum Nominativum *Hic*, interdum Accusativum *Hunc* significat.

Quomodo illos Casus possumus dignoscere?

Si quis hos casus dignoscere, ac distinguere velit, oportet quod mutatis vicibus eos per verbum substantivum *Sum* determinet. Nam cum Nominativo verbum Est debet coniungere: cum Accusativo verò verbum *Esse*: vt.

Est Coriscus.

Esse Coriscum.

Eadem est ratio Fæmininorum nominum, & eorum, quæ, cum appellentur σκεύη, id est, vasa, Fæminorum aut Masculinorum habent inflexionem.

Quomodo cognoscere poterimus quæ nomina, vasa significantia, sunt Neutrius generis, quæ verò Masculini aut Fæminini?

ξύλον lignū, σχοινίον funiculum significat.

Ea, quæ in ο & ν terminantur, hæc sola τῶ σκεύους, id est vasis inflectionem habent, hoc est, sunt Neutrius generis: vt: ξύλον, σχοινίον: quæ verò non ita terminantur, Masculi-

Masculina sunt, aut Fæminina; quorum nonnulla referimus inter σκεύη, id est, vasa, hoc est, traducimus ad Neutrum genus: vt ἀσκὸς est nomen Musculinum: κλίνη verò Fœmininum: idcircò etiam in his verbum *Est*, & verbum *Esse* eodem modo, quo in superioribus, casuum inter se differentiam & discrimen indicabit. Vt:

Est vter: *Esse vterem.*
Est lectus: *Esse lectum.*

Quibus Elenchis similis est Solœcismus, hoc est, Elenchus, in quo Solœcismus committitur?

Similis est quodamodo Solœcismus, sivè Solœcismi Elenchus iis Elenchis, qui ex eo appellantur, quod *non similia similiter accipiantur*, hoc est, Elenchis *Figuræ dictionis*. Nam vt illic [i] in rebus fit Elenchus: ita hîc in vocabulis committitur Solœcismus. Nam hæc duo *Homo* & *Album*, & res & vocabula sunt, hoc est, aliquando pro vocibus primæ intentionis, aliquando pro rebus ipsis sumuntur. Ex his igitur, quæ dicta sunt, perspicuum est, si quando Solœcismum sophista velit concludere, ex illis casibus, quos exposuimus, hunc ipsum concludere. Atque de speciebus contentiosarum Argumentationum, & partibus singularum specierum, & modis omnibus hactenus.

Ασκος vterē significat. Committitur Solæcismus sumendo casū pro casu: vt fiebat in pronominibus. Nam si quis concedat esse *vas* in recto casu, cum loquatur de lecto: sophista accipit, quasi concedatur *Vas* in Accusativo: ita cō. cludit. *Ergo est lectum.* cū debeat concludere: *Ergo est lectus.* Pacius.

SCHOLIA IN CAP. 13.

a *Nugatio est duplex.*
- 1 *Vera, cū opponēs supponit nomē per se sumptū & orationem idem significare.*
- 2 *Apparens, cum hoc non supponit, nec concedit Respondens.*

b *Relati-*

b Relativa sunt duplicia.
1 *Quedã sunt Relativa per se: vt:* simplum & duplum, scibile & scientia.
2 *Quadam Relativa ratione generũ suorum: vt:* Grãmatica *ratione generis,* nẽpè scientiæ *ad aliud refertur, sed ratione sui non refertur, sicut docet Arist. in Categorijs. c. de Qualitate.*

c *Ex hoc loco nonnulli colligunt Nomina adiectiva, presertim Neutrius generis, nunc substantivè nunc adiectivè accepta, esse de æquivocorum numero.*

d *Exemplũ veri & apparentis* Solœcismi *potest ab ijs etiam desumi, qui dicunt* ficus & ficos maturas *in fœminino genere: Vnde Martialis:*

Cum dixi ficus, rides quasi barbara verba,
Et dici ficos Cæciliane iubes.
Dicem⁹ ficus, quas scimus in arbore nasci,
Dicemus ficos Cæciliane tuos.

Ficus, *cum fructũ significat, est Fœminini generis, cum verò morbum seu vitium corporis denotat, est Incerti sivè Dubij generis, sed vsitatiùs Masculini.*

e *Hic Protagoras insignis fuit sophista, sicut patet ex illo Dialogo Platonis, qui* Protagoras *sivè* Sophista *inscribitur: is primus mercede docuit, minas centum exigens, vel quantum discipulus æstimasset artẽ. Sophistam se dixit, quòd eloquens sibi videretur. Igitur Plato, cum videret eum Arte Rhetorica intumescentem, verbaq;*

ex

ex Poetica plus iusto ostentantem, eius ideam longo sermone expressit. Fuit Protagoras (inquit Gellius) Lib.5.c.3. *insyncerus quidem Philosophus, sed acerrimus sophistarum: pecuniam quippe ingentem cum à discipulis acciperet annuam, pollicebatur se id docere, quanam verborum industria causa infirmior fieret fortior: quam rem Graecè ita dicebat,* τὸν ἥττω λόγον, κρείττω ποιεῖν. *Haec Gellius. Quamvis in initio capitis tertij asserat eum fuisse virum in studiis doctrinarum egregium, cuius nomen Plato libro suo illi inclyto inscripsit.*

f Sic *Germani (inquit Alberius) facilè adduci possunt eò, vt Solœcismos committant in lingua Gallica: & vicissim Galli, vt in lingua Germanica solaeca loquantur. Multa enim, quae nobis sunt Masculini generis, sunt illis Fœminini, & è cōtrà. Haec Alberius. In qualibet linguà nomina eandem rem significantia non sunt eiusdem generis; vnde vna gens facilè solœcismos committit in alterius gentis lingua.*

g *Calliope est vna ex novē Musis, Orphei mater, quae heroico carmini praeesse existimatur, à vocis suavitate nomen habens.* καλὸν *enim bonū est,* ὢψ *vox, vnde virgilius in Epigram.*

Carmina Colliope libris heroica mādat.

Dicitur & Calliopea, sicut Penelope & Penelopea: vnde virgil. Eclogu 4.

Orphei Calliopea, lino formosus Apollo.

h *Quod ad Coriscum attinet, frequens istius in hoc opere mentio fit: fuítque iste Socratis auditor, Nelei istius pater, cui Neleo Theophrastus cùm suam, tùm praeceptoris sui Aristotelis bibliothecam testamento reliquit. Summa laude hunc Plato prosequitur in epistola 6. quam Hermea, Erasto, & Corisco scripsit. Tibi quidem Hermea (inquit) ego, qui Erasti & Corisci maiorem experientiam habeo, quam tu, dico & significo ac testor, non facilè inventurum te esse mores magis fide dignos, quàm sunt horum tuorum vicinorum. Itaq; vt omni iusto modo ex his viris dependeas, & non obiter hoc à te faciendum putes, tibi consulo. Haec Plato.*

Obiectio.

i *Fallacia Figura dictionis consistit in* dictione. *Ergo malè asserit hîc Aristot. eam in* rebus *consistere.*

Solutio.

Ideò dicitur in rebus cōsistere, quia eò nos adducit, vt erremus nonnumquam in rebus propter vocum similitudinem. Unde vocum similitudo, non res est huius deceptionis causa. Quare etiamsi in rebus decipiamur, tamen non propter res, sed propter dictionum similitudinem decipimur.

ANA-

ANALYSIS

CAP. 14.

ARGVMEMTVM.

Hactenus Arist.exposuit quib9 modis Sophistę studeant adversarium ad suas Metas perducere: in hoc capite quo pacto Sophistæ dissimulanter interrogare,ipsasque interrogationes disponere soleant, declarat,propositis ipsis præceptis, quæ sophistæ diligenter sequi solent. Præcepta sunt septemdecem, ad quæ dispositionem interrogationum Sophistæ dirigere solent.

Alberius. Hoc caput proportione respondet primo tractatui Topic.

Quid iam dicendum superest?

Quia in dispositione eorum,quę à Sophista interrogãtur,non parum est momenti,vt quis possit celare propositam conclusionem, (quemadmodum & in Dialecticis interrogationibus vsuvenire dictum est) iam operepretium erit,si pauca de iis,quę ad dispositionem sophisticarum interrogationum spectant,dicantur.

Lib.8. Topic. cap.1.

Quot sunt præcepta,ad quæ dispositionem interrogationum dirigere solent sophistæ?

Septemdecem sunt:Quorũ primum,ex orationis prolixitate desumptum,hoc est: Sophistæ,vt aliquem Elencho regarduant,non breviter,& succinctè, sicut Dialectici,disputant,sed longa quadam oratione,& prolixis verborũ ambagibus vtuntur. Quò fit,vt Respondens citiùs & faciliùs,vtpotè oblitus eorum,quæ à sophista prolata sunt,in errorem labatur. Nam cum interrogationes longę sunt,omnes captiones nõ facilè

I Orationis prolixitas.

animadverti possunt, quandoquidem multa simul providere & conspicere difficile sit. Ad orationis autem prolixitatem ᵃelementis sivè locis, de quibus agit Arist. lib. 8. Top. c. 1. vtendum est.

2 Celeritas.

Quod est secundum præceptum?

Secundum præceptum priori contrarium, à celeritate ductum, hoc est: Sophistæ, vt Respondentem reddant ineptum & minus idoneum ad respondendum, nonnumquam summam celeritatem & festinationem in interrogando adhibent: necnon instant, vt citò iis, quæ interrogata sunt, respondeat: Quo fit, vt Respondens præsertim, qui tardioris & hebetioris sit ingenii, ad respondendum festinatione, qua potest, vtens, minus possit providere, quid dicat.

3 Ira. Vide lib. 2. Rhetoric. Arist. ad Theod. cap. 2.

Quod est tertium præceptum?

Tertium præceptum, ad iram & altercationem provocans, hoc est: Sophistę sæpenumerò Respondentem ad iram & altercationem provocant, quò eum ita perturbatum & concitatum reddant, vt rectè interrogatis minùs valeat respondere. Nam qui iracundia commoti sunt, minùs sunt cauti ad omnia. Rationes autem seu modi, quibus quis ad iram impellitur, hę sunt, si Sophistæ palam perfiteantur se iniquè velle agere cum adversario, & summam impudentiam præ se ferant.

4 Interrogationum permutatio.

Quod est quartum præceptum?

Quartum præceptum, ab interrogationum permutatione & involutione ductum, tale est: Solent Sophistæ interrogationes perturbatè sine vllo ordine proponere, sivè ad rem probandã multas habeãt rationes; sivè habeant, ex quibus in vtramq; partẽ disputare possint. Fit enim hac ratione, vt vno tempore dent Respondẽti aut multa, aut contraria cogitanda: quorum vtrumque summam continet difficultatem.

5 Occultatio.

Quod est quintum præceptum?

Quintum præceptum à propositi occultatione deductum,

ctum,hoc est:Solēt Sophistę sæpenumerò,vt adversarium citiùs fallant,propositā conclusionē celare:vnde, nullâ re propositâ,aliqua interrogant, ac si in animo non constituant de re aliqua omninò disputare. Huc pertinēt omnes loci,quos ad celandum propositū spectant,de quibus lib. 8. Top.c.1.Hi enim vtiles etiā sunt ad contentiosas & Sophisticas Argumentationes cōcludendas.Eò enim spectat occultatio, vt lateant:latent autem,vt fallant.

Quod est sextum præceptum?

Sextum præceptum est huiusmodi:Sophistę,cū vident Respondentes protervos esse,omnia abnuentes & negantes,quæ ad rē facere existimant,hac cautione adversus eos vtuntur: Cum partem contradictionis affirmantem interrogare intendant, aut mutant affirmantem in negantem:& hanc interrogant,quasi contrariam partem velint efficere:aut verò ex æquo vtrāque partem simul interrogant: quo fit,vt cum non videāt in quam partem inclinent Sophistæ, nec quid concedi velint, minus morosos sivè difficiles minusq; proteruos se præbeant, 6

Exemplum: Si Sophista hanc propositionē sibi concedi postulat: *Estne omne iucundum expetendum?* sic interrogat. *Estne nullum iucundum expetendum?* vel *Estne iucundum expetendum vel non expetendum?*

Quod est septimum præceptum?

Septimum præceptum tale est:Si Respondens concesserit partem alicuius vniversalis,putà generis,aut alterius,inductis illius partis singulis sivè individuis quibusdam:Sophista illud vniversale non amplius interrogabit,sed eodem,vt concesso vtetur. Hac enim ratione vsuvénit,vt tum Respondens, tum etiam auditores putent concessum fuisse illud vniversale: quia adhuc in memoria tenent inductionem paulò ante factam,quasi non frustra interrogata sint illa,quæ ad inductionem spectabant. 7

Quod est octavum præceptum?

Octavum præceptum hoc est : Si nullū nomen sit impositum vniversali , tum Sophista solet similitudine 8

aliqua vti, prout commodum fuerit. Sæpè enim similitudo latet, & ad celandum sivè dissimulandum propositum plurimum valet; vnde facilius fallit Respondentem. Nam, vt antè dictum est, ideò latet sophista, vt fallat.

Quod est nonum præceptum?

9 Nonum pręceptum hoc est: Sophista solet, cum aliquā propositionem interrogat, simul cum ea contrariam etiam interrogare. Exempli causâ: si concedi sibi velit hanc propositionem,

Omnibus in rebus patri obtemperandum esse:

Huic etiam contrariam hunc in modum simul interrogat:

Estnè parentibus in omnibus obtemperandum, an in omnibus repugnandum?

Aut verò si velit sibi concedi *parentibus sæpiùs esse obtemperandum*, hoc pacto interrogat:

Vtrum multa concedenda sunt parentibus, an pauca?

Hîc enim multò potiùs (si parentibus sit obtemperandum) multa esse concedenda videbitur Respondenti, quàm pauca: præsertim cum rerum compositio sivè comparatio efficiat, vt res magnæ & maiores hominibus videantur: itemque deteriores & meliores.

Quod est decimum præceptum?

10 Decimum præceptum est huiusmodi: Insignis & frequens est illa sophistarum impostura, vt quis Elencho reprehensus videatur. Cum scil. nonnullas interrogationes proposuerit sophista, licet ex iis nihil syllogismo concludat, ita extremā interrogationē argumentationis subiicit, vt illam non interroget, sed in modum conclusionis reliquis interrogationibus subiiciat eodem prorsus modo, quo conclusiones absque interrogationibus subiiciuntur hoc modo:

Non igitur hoc, & hoc?

Quod

Quod est undecimum præceptum?

Vndecimum præceptum est huiusmodi Sophista, cum paradoxon seu improbabilem aliquam conclusionem probandam sumit, propositio autem in initio posita sit probabilis, solet adhibere aliam propositionem sivè interrogationem probabilem, & interrogat Respondentem: Vtrum hæc tibi probabilis videtur? Hinc fit, vt Respondens aut in Elenchum incidat, si illa propositio ad prędictā improbabilē cōclusionē probādā valet, aut dicat aliquod paradoxum, & ꝙ est cōtra opinionē omniū. Nā si eam concedat, incidit in Elenchū: sin neget, paradoxon admittit: sed si non planè concedat, videri tamen sibi fateatur, si non verè convictus, aliquo certè modo Elencho videbitur reprehensus. 11

Quod est duodecimum præceptum?

Duodecimum præceptum hoc est: Sicut in Rhetoricis sivè oratoriis disceptationibus oratores omni curâ provident, ne pugnantia vllo modo dicant: ita in Elenchis sophisticis concludēdis Sophistę magnoperè providere solent, an dicat Respondens pugnantia & contraria: aut iis, quæ ab ipso dicta sunt, aut sententiis sivè opinionibus eorum Philosophorum, quibus in aliqua thesi defendenda adhæret, aut opinionibus eorum, qui reverà tales, hoc est, sapientes sunt, aut verò qui non sunt huiusmodi, similes tamen talibus sunt hominibus: aut deniq́ue opinionibus plurimorum, vel omnium. 12

Quod est decimum tertium præceptum?

Decimum tertium præceptum tale est: Sicut Respondentes solent sæpenumerò, cum Elencho redarguuntur, distinctionem quādam fingere, & dicere, se in hoc, non in illo sensu, quo coarguuntur, aliquod nomen vel orationem accepisse, & sic evadere quo minus saltem videantur Elencho redargui: ita etiam Sophistę in inter- 13

terrogationibus eodem illi præsidio vtuntur, maximè adversus eos, qui obiiciunt & fortiter resistunt: ita vt q̃ sit vno modo verum, altero non verum, illo modo, non hoc, eos accepisse dicant: qualiter fecit [d] Cleophon in [d] Mādrobulo, hoc est, in illa Fabula, sivè Tragedia, quæ Mandrobulus inscribitur: quæ hodiè non extat.

Quod est decimum quartum præceptum?

14 Decimum quartum præceptum est huiusmodi: [e] Solet Sophista nonnumquam à cœpta disputatione desistere, & reliquas argumentationum partes, hoc est, interrogationes, quæ reliquæ sunt, præcidere, & aliò se cōferre. sed tum oportet Respondentem, cum hoc præsenserit, illi occurrere & admonere, ne rem propositam deserat.

Quod est decimum quintum præceptum?

15 Decimum quintum præceptum hoc est: cum Sophistę non suppetunt rationes & argumenta, quibus cōtra rē propositam copiosè possit disputare, tum solet disputationem ad aliud quiddam traducere, de quo liceat sibi copiosiùs disserere: sed ita illud accipiendum est, si modo nil habeat, quod contra rem propositam obiicere possit. Quod quidem fecit [f] Lycophron, cum propositum problema esset, lyræ encomium, hoc est, cum iussus esset laudare lyram.

Quod est decimum sextum præceptum?

16 [g] Decimum sextum præceptum est huiusmodi: Si Respondens postulet aliquam propositionem à Sophista probari: quoniam æquum videtur, vt subiecta probatione illius reddatur ratio, acceptis quibusdam singularibus, solet sophista vniversalem propositionem reticere, & loco eius cōtradictionem in singularibus vsurpare, vt quod affirmaverit Respondens, negare, aut quod negaverit, affirmare ostendat, & non probet vniversalem illam propositionem, qualis hæc est:

Contrariorum eadem est scientia aut non eadem?

Quod

Quod est vltimum præceptum? 17

Vltimum præceptum hoc est: Non oportet conclusionem [h] in modum propositionis interrogare: Et quædã sunt propositiones, quæ interrogari non debent, sed his, vt concessis, vtẽdum est. Ac de locis vnde sophisticæ interrogationes eruendæ sunt, & ratione interrogandi hactenus dictum sit.

SCHOLIA IN CAP. 14.

a Per elementa *intelligit loca & principia, quæ dicta sunt lib. 8. Top. Hæc autem sunt, interrogare atq; proponere non solum causas conclusionis, sed ea quoniam talia sunt: & parabolis & exemplis ornare sermonem &c. Sophistæ inter disputandum prolixa oratione tanquam maximo præsidio vti solent, sicut patet ex Protagora Platonis: vbi Socrates Protagoram perorantem concisioribus & brevioribus verbis vti iubet.*

b *Permutato ordine interrogationes proponit opponens, cum vel eam proponit, quæ debet esse secundæ rationis, pro interrogatione primæ rationis, et è contra: vel eam proponit, quæ est pro opposita cõclusione, pro interrogatione propositæ conclusionis, & è converso. Niphus.*

c *Esto thesis probabilis initio posita*: Afficere iniuria, & occidere non esse bonum: *conclusio improbabilis & contra opinionem hominum, esto:* Afficere iniuria, & occidere bonum esse. Alberius.

Con-

Conclusionem hanc improbabilem efficere Sophista cogatur, eò quòd Respondens partem contradictionis probabilem elegerit, & tuendam suscepit, nempè, Afficere iniuria, & occidere non esse bonum. *Isto modo sophista coactus conclusionem efficere improbabilem & contra opinionem hominum, confugiet ad propositionem quandam probabilem, quæ licet consensu falsitatis cum conclusione improbabili conspiret, probabilis tamen vulgò videatur.* Sic *Polus in Gorgia Platonis, cum vellet efficere conclusionem improbabilem eandem illam: nempè,* Afficere iniuria, & occidere bonum esse, *confugit ad propositionem sivè interrogationem eiusmodi, quæ vulgò probabilis videtur, ad quam iubet respondere adversarium. Interrogatio Poli est huiusmodi.*

Archelaus filius perdiccæ Macedoniæ Rex fœlixné tibi (O Socrates) videtur esse, an miser?

Hic autem Archelaus, cum occidisset cognatos, & affines, & multos maximis iniurijs affecisset, Macedonibus imperavit. Cum igitur interrogatio eiusmodi vna sit ex illis, ex quibus efficitur syllogismus, non potest effugere Respondens, quin aut in Elenchum, aut in Paradoxon, aut aliquid Elencho simile incidat. Nam si concedat Archelaũ esse fœlicẽ, *incidit in Elenchum. Nam posuit* afficecere iniuria *&c. non esse bonum: si neget* eũ esse fœlicẽ, *in Paradoxon incidit, quia vulgus* regẽ

poten-

potẽtissimũ fœlicẽ esse *opinatur: si nõ concedat, sed fateatur* vulgo videri fœlicẽ, *in aliquid simile Elencho, sive in* ἐλεγχοειδὲς *incidit: Unde notandũ est Arist. hoc loco tria cõferre inter se: nẽpè* ἔλεγχον, παράδοξον καὶ ἐλεγχοειδὲς, *hoc est, redargutionẽ, inopinabile & speciẽ redargutionis: quorũ primum positum est in eo, si id, quod rogatur, omninò concedas: secundum, si omninò neges: tertiũ, si videri tibi asseris, & si non planè vel neges, vel concedas.* Ελεγχοειδὲς *derivatur ab* ἔλεγχος, *&* εἶδος, *quòd Elenchi speciem habeat.* Mathisius.

d *Cleophon fuit Atheniensis tragicus poeta. Mandrobulus est quadam Cleophontis fabula, vt Actaeon, Amphiareus, Telephus &c. de quibus* Suidas *meminit. Vide num iste Mandrobulus sit, de quo proverbium iactatur,* Mandrabuli more res succedit, *de ijs, quæ indies in peius prolabuntur. Verum istud per a, non per o in medio scribitur. Mathisius.* Ελεγχοειδὲς.

e *Huius præcepti exemplum habemus elegantissimum apud Platonem :* Hæc vbi dixisset Thrasimachus (*iniusticiam nempè esse quiddam regalius iusticiâ)* abire volebat: *Non tamen ibidem (inquit Plato) permiserũt hoc ipsi, qui præsẽtes essent, sed expectare ipsum coegerũt & dictorum rationem reddere : & sanè etiam ego (inquit Socrates) valdè rogabam ac dicebam : O beate Thrasymache, quali sermone immisso abire cogitas, prinsquàm doceas, aut discas, sive sic, sive aliter res se habeat?* Lib. 1. de Repub. sive de iusto.

habeat. Paulò post Thrasymachus astutè admodũ conatur ostendere se iustam habuisse causam, quamobrem deserere disputationẽ & discedere cogitaret. Et quomodo (*inquit*) tibi persuadebo? si enim ex his, quæ nunc dicebam, persuasus non es, quid tibi amplius faciã? an in animam ingerens sermonẽ tibi indam?

f *Cum Lycophron instituisset laudare lyram, neq; rationes suppeterent, ex quibus copiose laudare Lyram posset, traduxit & convertit orationem ad Lyricos. quorum præstantissimos quosq; laudibus prosecutus est. Sic quidam cum laudare Helenam instituissent, laudarunt Heroes illos, à quibus Helena amabatur. Quis autem hic Lycophron fuerit incertum est (inquit Mathisius) Sophista an poeta tragicus. Quidam dixerunt fuisse Grammaticum, tragediarumq; factorem. Alexander verò, cui magis (inquit Niphus) credendum est, Aristotelem de Lycophrone Rhetore loquutum esse dicit, qui inter oratores dicebatur Sophista. Et huic expositioni consonant verba Aristotelis, cum dixerit Lycophroni fuisse propositum, vt ex Arte laudaret Lyram. Modò laudare Lyram est officium oratoris, cùm, qui laudat, dicat in genere Demonstrativo. Hæc Niphus. Hic Lycophron poeta, patria fuit Chalcidensis, Sophoclis Grammatici, adoptione vero Lici Rhegini historici filius, inter septem poetas, qui Pleiades dicebantur*

Alii dicunt eum traduxisse orationẽ ad lyram, signum cæleste, vnde multos & egregios invenit sermones, per quos eam facile poterat commẽdare. Niphus.

cebantur à numero stellarum, Philadelpho Ptolomæo acceptus. Erant autem hi, Theocritus, Aratus, Nicander, Apollonius, Philecus, Homerus iunior, Lycophron. Is scripsit Alexandram, *poema valdè obscurum, in quo meminit de vaticiniis Cassandræ, exorsusq; ab Hercule, persequitur vsq; ad Alexandrum Macedonem. De huius morte Ovidius loquitur in Ibin:*

Vtq; cothurnatum perisse Lycophrona narrant,
Hæreat in fibris fixa sagitta tuis.

Alius fuit Perinthi regis Corinthiorum filius, qui matrem occiderat vivente adhuc patre, de quo vide multa apud Herodotum lib. 3. & Laer. in periandro. Stephan.

g *Quoniam hoc præceptum paulò obscurius videri possit, subiiciendum est exēplum. Esto propositio:* salubris & pestilentis est eadem scientia: *hanc propositionem Respondens sibi probari iubeat. Vt hanc probes, tibi non erit confugiendum ad propositionem illam universalem,* Contrariorum est eadem sciētia. *Nam si illam adhiberet Respondens, tibi negotium facesseret allata instantia de* Noto & Ignoto, *quorū non videtur esse eadē scientia, licet sint contraria. Quid igitur faciendum est? nempè particularia quædam notissima adhibenda sunt, & in iis vsurpanda est contradictio hunc in modum:* Alberius.

Si salubris & pestilentis non est eadem scientia,

ſcientia, neq; paris & imparis eadem erit ſcientia.

Atqui paris & imparis eadem eſt ſcientia.

Ergo ſalubris quoq; & peſtilentis eadē eſt ſcientia.

Eccè enim contradictio vſurpatur in par e *&* impare, *quæ ſunt cōtraria notiſſima: & quorū eandē eſſe ſcientiam inter omnes conſtare videtur. Alberius.*

h *Non dicit Ariſt. concluſionem non eſſe interrogandam, ſed non eſſe interrogandam* προτατικῶς, *id eſt, in modum propoſitionis ſivè præmiſſæ. Niphus.*

LIBER

LIBER SECVNDVS.

ANALYSIS

CAP. I.

ARGVMENTVM.



VIA parum est nosce causas & modos Paralogismorum, nisi etiã solutionem & enodationem eorũdem cognoscamus: ideò cum Arist. in priori libro ostendisset quibus modis sophistæ captiosos suos Elenchos & apparentes rationes soleant contexere, in hoc libro ostendit qua ratione Dialecticus eosdem diluere & resoluere possit: vnde cum illîc sophistæ opponentis officium exposuisset, hîc Dialectici Respondentis munus exponit. Tres sũt partes huius primi cap. Primò proponit de quibus dicturus est in hoc libro. Secundò ostendit huius tractatus vtilitatem: vbi tacitam soluit obiectionem. Tertiò vtilitatem Exercitationis subiungit.

De quibus iam restat dicendum?

De his quatuor. 1. De Responsione, hoc est, de apparẽti solutione Paralogismorũ. 2. Quomodo oporteat soluere, hoc est, de vera solutione eorundem. 3. Quid sit solutione dignum. 4. Ad quem vsum cognitio sivè tractatio disputationum Sophisticarum conferat.

Vt ab hoc quarto initium sumatur, ad quæ vtiles

sunt

sunt huiusmodi disputationes?

Vtiles sunt ad hæc duo: nempè ad Philosophiam: Et ad gloriam consequendam.

Quomodo vtiles sunt ad Philosophiam?

1 Vtiles sunt ad Philosophiam duabus de causis. Nam cum omnes sophisticæ captiones (vt dictum est) vel *in dictione*, vel *extra dictionem*, nempè in ipsis *rebus* consistant, & fallaciæ, quæ *in dictione* consistunt, per Multiplicis distinctionem soluantur: primò, hæ sunt vtiles ad Philosophiam, quia hoc nobis præstat earum cognitio & consideratio, vt verborum ambiguitatem faciliùs animadvertamus, & vt quæ simili, quæ diverso modo accidant tam in rebus, quàm in nominibus cognoscamus: vnde fit, vt facilior aditus ad Philosophiam perdiscendam nobis patefiat. Cum enim probè noverimus quæ sunt ea, in quibus rerum similitudo cum nominum similitudine conveniat, & etiam ea, in quibus differat, multò faciliori via ad Philosophiæ intellectum perveniemus.

Secundò vtiles sunt ad res ipsas exquirendas, cũ quis tacitè eas apud se investigat, earumq; naturam animo secum considerat. Nam qui facilè ab altero decipitur Paralogismo *intra dictionẽ*, nec id statim animadvertit, idem si per se, & apud seipsum aliquid consideret, frequenter se ipse Paralogismo etiam impediet.

Quomodo vtiles sunt ad gloriam consequendam?

2 Ad gloriam consequendam vtiles sunt, quia, siquis sophisticas captiones contexere probè noverit, hac ratione videbitur omnibus in rebus bene exercitatitus, & nullius esse imperitus. Qui enim cum altero disputat, eiusq; argumentationes aspernatur, & vituperat, cum vitium earum ipse fortassis indicare non possit, suspicionem is præbet, eas cum indignatione

audire.

audire necnon difficilem se alteri præstare non propter veritatem, sed propter imperitium.

Dubium.

Cum suprà exposueris locos, ex quibus Paralogismi ducantur, necnon sophistarũ fraudes & imposturas, quibus vtuntur, sufficienter enucleaveris satisq; explicatè edocueris, quibus cognitis Respondentes facilè & sine vllo negotio huiusmodi captionibus occurrere possint: quorsum hic iterum peculiarem de ipsorum solutione tractatum instituis?

Solutio.

Quamvis equidem locos, ex quibus sophistæ captiosas & fraudulentas suas rationes depromãt, suprà in priori libro exposuerim necnon ex parte & quadãtenus quomodo Respondentes eas soluere possint, edocuerim: tamẽ non plenè & perfectè ibi loci hoc ipsũ me præstitisse puto: nec accuratã & expeditam captiones soluendi rationem ibi me ostendisse arbitror: Quia nõ est idẽ *soluere paralogismos*, et[b] *celeriter soluere*: nec idẽ est accepta aliqua argumentatione illius vim perspicere, vel vitiũ vbi sit, indicare, atq; celeriter posse Respondentẽ eidẽ occurrere. Sępè enim accidit, vt cognoscimus, mutatis & traiectis verbis ignoremus: Ex iis ergo, quæ in priori libro exposui, Respõdens fortasse cognoscet aliquo modo sophisticas captiones soluere nõ tamen ita propè, nec ea celeritate, quã in huiusmodi captionibus diluẽdis in Dialectico requirẽdam censeo. Quare operæpretiũ duxi in hoc secundo libro respondẽdi & soluendi viam magis facilem patefacere, quæ tota in *Celeritate* posita est.

Vnde celeritas & tarditas in disputationibus proveniunt?

Ab exercitatione. Nam sicut[c] celeritas & tarditas se habet in aliis rebus: ita & in disputationibus: sed in aliis rebus tota ab Exercitatione depen-

Ratio sic breviter colligi potest. Ex primo libro cognoscimus ex quibus cõstituuntur sophistici Elenchi, cognoscimus etiam causas defectus eorum: & quomodo soluendi sunt. Ergo hic secundus liber superfluus est & inutilis.

Quomodo soluendi sunt paralogismi cognoscimus ex primo libro: sed non quomodo celeriter solvẽdi sunt.

det, à qua & incrementum accipit. Ergo & disputationibus. Vndè efficitur, vt tametsi res nobis cognita sit, sæpè tamen quia desit Meditatio exercitatioq; differendi, expedire nos in tempore, & vt decet, non possimus.

Nonne, si cognoscamus paralogismorum connexionem & [d] compositionem, eosdem poterimus dissoluere & in partes distribuere?

Nequaquã. Nã sicut se res habet in Descriptionibꝰ Mathematicis sivè Demonstrationibus: ita se res habet in Paralogismis sivè Sophisticis Elenchis. Sed in Demõstrationibus accidit, vt postquam eas resoluerimus, & ad sua principia revocaverimus, componere eas rursus non possimus. Ergo accidit in Paralogismis vt sciamus, vndè ducantur, eos tamen dissoluere non valeamus.

SCHOLIA IN CAP. I.

Niphus. a PEr Philosophiã *Alexander intelligit Theologiam, quæ est vniuersalis Philosophia, quæq; Metaphysica appellatur. Si enim aliquis scierit quonam modo sophistici syllogismi, qui in dictione sunt, fiant, et voluerit in Theologia versari, nullo pacto decipietur. In Theologia enim res, quæ cadunt sub sensum, considerantur per se: nomina verò & orationes per accidens, quatenus per eas res explicamus. Alij intelligunt non solum Metaphysicam, sed & cæteras scientias.*

b *Sicut acutus & sagax opponens is est, qui Medium,*

dium, quo conclusionem probaturus est, quàm citissimè excogitat, sicut docet Arist. lib. 1. Demonst. c. 27. Ita peritus Respondens is cēsendus est, qui captionis vitium citò perspicere, citoq; captionem diluere potest.

c Celeritas & tarditas sicut in cæteris rebus, ita in disputationibus tota pendēt ab exercitatione, vel adhibita, vel omissa & neglecta: ita eadem res dissimili comparatione contrariorum est efficiens, sicut testatur Arist. li. 2. Phys. c. 3. Insignis hic locus est, quo exercitatio frequens diligensq; in omni re nobis commendatur. Huc pertinet quod Aristoteles lib. 8. Top. exercitationem facultatis gratiâ suscipi fatetur his verbis: τὸ δ' γυμνάζεσθαι δυνάμεως χάριν· Mathisius.

d Duo sunt modi cognoscendi: vnus per Compositionē: Alter per Resolutionem. Quod scimus modo & viâ Compositionis, illud fortasse ignoramus viâ Resolutionis, & è contrà. Facilius est Sophisticam Argumentationem componere, quàm eādem dissoluere. Nam Resolutione indiget, qui exactè velit paralogismum diluere: quæ vt multò præclarior, ita & multò difficilior est, quàm Compositio.

ANALYSIS

CAP. 2.

ARGVMEMTVM.

PRimum illud, quod in capite primo tractandũ proposuit, iam absoluit: in hoc autem capite tractatur apparens Solutio sophisticarum captionum. Tres sunt partes huius cap. Primò ostendit apparentem solutionem quandoq; magis adhibendam, quàm veram. Secundò confutat duos errores Antiquorum: prior erat eorum, qui existimabant Argumentationẽ ex Homonymia deductam, esse verum Elenchum. Secundus eorum, qui dicebant ad orationem ambiguam simpliciter sine vlla distinctione respondẽdũ esse. Terriò quædam præcepta de apparenti solutione subiũgit.

Præstatné quandoq; apparentem [a] solutionem magis, quàm veram Sophisticis captionibus adhibere?

Maximè. Nam præstat quandoq: syllogismos probabiles, hoc est, apparentes inter disputatandum præeligere potiùs quã veros, Ergo (à simili) præstat quandoq: apparentem solutionem magis, quàm verã adhibere, & ad opinionem potiùs, quàm ad veritatem captionũ solutiones conferre. Contentiosis enim cum hominibus planè nobis pugnandum est, quasi cum iis, qui videantur Elencho redarguere, ac nõ verè redarguunt: siquidem non dicimus eos omninò concludere: vndè eò dirigenda est responsio, vt ne videantur concludere: Quod patet ex definitione Elenchi. Nam si verus Elenchus sit contradictio nõ homonyma, quæ ex nõnullis sumptionibus seu præmissis colligitur, non opus est

est,vt Respondens veram Solutionem, quæ fit per distinctionem,adhibeat,si Sophista ex Homonymia aut Amphibolia Argumentum deducat: quia is,qui eo modo argumentatur, Syllogismũ aut Elenchũ non facit.

Dubium.

Quamob causam ergo Respondens distinctione vti debet, si non ideò vtatur, vt non redarguatur à sophista?

Non aliã ob causam distinctione vtitur,nisi quòd conclusio, quam affert Sophista, speciem quandam veri Elenchi præ se ferat.Non est igitur cavendum, aut distinctione vtẽdum,ne redarguamur, sed ne videamur redargui:quandoquidẽ interrogationes ambiguæ vel homonymæ,& eiusmodi aliæ, etiam verum Elenchũ obscurãt,& sitné aliquis Elencho convictus necné, incertũ reddũt: Ergo nõ ob Sophistę rationẽ,sed ob auditorũ opinionẽ Respõdens distinctionẽ adhibere debet,ne scil.illum Elencho redargui arbitrentur.

Num sufficit quoad apparentem solutionem,propositis interrogationibus multiplicibus,ijsq; concessis, si Respondens post conclusionem illatam illas interrogationes seu præmissas distinxerit, & dixerit aliud se affirmasse,aliud sophistam sumpsisse, nec eum conclusisse negationem eius, quam ipse affirmaverat?

Non sufficit.Nã si interrogata concedantur,non potest Respondẽs illatã, cõclusione,ea distinguere:quia hoc modo incertum est auditoribus, an sit convictus Elencho,cum incertum sit,an is verum dicat, dum ait Opponentem in alio sensu conclusionem collegisse, quàm ipse præmissas concesserit, Opponente fortassis contrarium asserente: Quod si Sophista interrogãs divideret Multiplex in sua significata,& interrogaret homonymum vel ambiguum in vno aliquo significato, tum non dubium esset, quin Elencho

esset reprehensus Respondens, qui simplicem & determinatam adhibuit responsionem: atq; etiam illud fieret, quod his quidem temporibus postulare minùs solent Sophistæ, superioribus autem magis postulare solebāt, vt scil. interrogatus sivè Respondens simpliciter sine distinctione responderet aut *Etiam*, aut *Non*. At his temporibus, quia sophistæ vitiosè interrogant, eò quod in vna aliqua significatione multiplex non interrogant, necesse est, vt Respondens aliquid amplius addat, quo vitiū interrogationis corrigat, id est, ostendat vitiū esse in ipsa interrogatione, eò quòd multiplex sit Nā si Sophista eam distinxisset satis sufficienter, necesse esset, vt Respondens simpliciter sine distinctione diceret vel *Etiam*, vel *Non*.

Num rectè existimarunt veteres Argumentationē, quæ fit secundum Homonymiam, esse Elenchum?

Nequaquā. Nā si talis Argumentatio esset Elenchus, Respondens nullo modo poterit effugere, quo minùs Elencho redarguatur (& sic sophista quotiescunq; ex Homonymia, etiam cum peritis, ratiocinaretur, victoriam ab iis reportaret, quo quid absurdius?), cum præsertim in iis, quæ oculis subiecta sunt, necesse aliquando sit Respondentē, quantū quidē ad nomen attinet, quod affirmaverit, negare, & quod negaverit affirmare: vt si Coriscum esse musicum, & immusicum sivè non musicum, affirmare cogetur illud ipsum hoc Elencho:

Coriscus est musicus.
Coriscus infans est immusicus.
Ergo est musicus & immusicus.

Quomodo Antiqui hunc Elenchum soluebant?

Veteres duas solutiones huius Paralogismi afferebant
1 Prior hæc est: Distinguebant inter Coriscum & hunc Coriscum. Nam pronomen *Hic* indicat rem singularē, quæ oculis subiicitur. Dicebant ergo se non concedere Coriscum (in communi) esse musicum & immusicum.

cum. Sic enim sibi contradicerent : sed se concedere hunc Coriscum esse musicum & hunc Coriscum non esse musicum: his autem verbis non contineri contradictionem: quia non idem numero Coriscus intelligitur.

Nonnè hæc solutio bona est?

Nequaquam. Nam sivè res ipsæ, sivè nomina considerentur, non est aliquod discrimen inter *Coriscum*, & *hũc Coriscum*. Nam si rem spectes, semper duo sunt Corisci, alter musicus, alter non musicus: si verò nomina respicias, semper hi duo Corisci significantur eodem nomine, sivè illud nomen sit *Coriscus*, sivè *hic Coriscus*.

Quæ est secunda solutio Antiquorum?

Secunda solutio hæc est: voluerunt vnam enunciationem intelligi de *Corisco*, alteram verò de *hoc Corisco*: vnde non est contradictio. 2

Num approbanda est hæc solutio?

Non est: quia nulla ratio assignari poterit, cur articulus *Hic* magis apponatur vni Corisco, quàm alteri: id est, *musico*, vel *non musico*.

Quid si aliqua interrogatio sivè oratio sit ambigua, num simpliciter & citra vllam distinctionẽ Respondens illam aut concedere, aut negare debet?

Non debet. Nulla enim oratio ambigua, sivè non sit vera in vtroq; sensu, sivè sit in vtroq; vera, absque distinctione vel concedenda vel neganda est. Quòd oratio ambigua, quæ in vtroque sensu non est vera, non sit sine distinctione concedenda vel neganda, his duabus rationibus confirmari potest.

Primò, Respondens modis omnibus cavere debet, ne videatur redargui à Sophista: Ergo sine distinctione orationem ambiguam non debet simpliciter concedere vel negare. Argumentũ prob. Nã si nõ distinxit 1

ambiguitatem, efficit vt auditoribus dubium & incertum sit, an Elencho sit redargutus necne. Quocirca si non verè sit reprehensus, at certè illius oratio pro convicta & refutata ab auditoribus habetur. Vndè in apparentem Elenchum eum incidere necesse est. Fit autem plærumq;, vt, qui ambiguitatem vident, eam tamen distinguere non curent, quia frequenter huius generis interrogationes ab adversario proponuntur, ne in omnibus videantur tergiversari: aut certè quia non existimant ex eo posse captionem vim illam accipere: vndè ad extremum nescio quid præter illorum opinionem eis accidit. Quare cum distinguere nobis liceat, numquam tardi aut negligentes esse debemus in distinguendo, nec allatâ conclusione ex interrogatis ambiguis concessis, sed initiò distinguere debemus, sicut paulò antè dictum est.

2 Secundò, ad duas sivè plures interrogationes non est simpliciter sine distinctione respondendum: sed ambigua interrogatio, quæ ex Homonymia aut Amphibolia oritur, continet plures interrogationes. Ergo ad eã simpliciter sine distinctione non est respondẽdum vel concedendo, vel negando. Minor prob. hoc exemplo: quid enim interest, sub duobus nominibus hoc modo interroges,

Suntné Callias & Themistocles musici?

An sub vno nomine æquivoco (si quod assignari possit) vtrisq; convenienti? Nam si nomen illud plura significet, certè qui illud interrogat, plura interroget, nõ vnum, necesse est.

Num ad orationem ambiguam, quæ in vtroq; sensu vera est, simpliciter respondendum est, vt nonnulli arbitrantur?

Nequaquam. Nam ad [c] duas interrogationes seu propositiones non est vna responsio accõmodãda, quamvis in vtroque sensu sint veræ. Ergo ad orationem ambiguam

biguam, licet in vtroque sensu sit vera, non est simpliciter respondendum. Argumentum prob. quia nihil interest, vtrum hoc modo quis interroget,

Vtrum Coriscus & Callias sint domi?

An sub aliquo nomine æquivoco vtrisque competente. Nam sivè ambo sint domi, siuè non sint, non minus fiunt vtroque modo plures propositiones. Neque enim vna est interrogatio, quia in vtroque sensu vera est. Nam possunt [d] sexcentæ diversæ interrogationes alicui proponi, ad quas omnes verè possit quis respondere simpliciter *Etiam*, aut *Non*: verùtamen non est ad illas omnes vna danda responsio. Hoc enim esset disputationis leges tollere, & omnem argumentandi rationem evertere. Hoc verò perinde est, ac si rebus diversis idem nomen esset impositum. Vt igitur ad duas interrogationes non est danda vna responsio: ita ad interrogationem homonymam sive ambiguã numquam est simpliciter respondendum *Etiam*, aut *Non*. Nam qui secus fecerit, is dixerit quidẽ aliquid, at certè non responderit.

Quid si ambiguæ interrogationi simpliciter absq; distinctione responderit, num hoc in disputationibus quodamodo probari, & tolerari potest?

Maxime quia nonnũquam quid inde sequatur, incertum sit. Quemadmodum igitur, sicut in initio huius c. dictum est, Elenchi quidem videntur, qui non sunt: ita solutiones nonnullæ erunt, quæ in speciem modo, nõ etiam veræ solutiones erunt, quas scil. diximus interdũ potiùs adhibẽdas esse, quàm veras in contẽtiosis disputationibus, & cum occurrere volumus paralogismo de Duplicitate ducto, hoc est, ex interrogatione multiplici siue ambigua.

Quibus modis potest Respondens apparenter tantum Sophistæ opponenti respondere, vt non videatur

videatur apud auditores Elencho redargui?

Vt hoc faciliùs intelligatur, quædam præcepta de apparenti solutione tradenda sunt, quibus cognitis, facilè constabit quibus modis apparenter responderi possit sophisticis argumentionibus.

Quod est primum præceptum?

1 Primum præceptum hoc est: Cum sophistæ opponētis interrogatio videatur esse vera sivè probabilis, nō tamen ei satis constat illius veritas aut probabilitas, non eam simpliciter concedet aut negabit: sed respōdebit: *Esto: sit ita: admittatur tua interrogatio esse vera, quid indè concludis?* Atq; si hoc modo responderit, minimè fiet Elenchus, hoc est, sic fiet, vt minimè falso & sophistico Elencho reprehendi videatur.

Quod est secundum præceptum?

2 Secundum præceptum tale est: Si sophistæ interrogatio vtcunq; vera sit, sivè probabilis, & præsentiscat Respondens, quod si hanc concesserit, aliquod Paradoxon, sive inopinabile dicere cogetur: Non eam simpliciter cōcedet, sed vtetur hoc verbo *videri*: & hoc modo respondebit, *Ita videtur, quod interrogas.* Hac enim ratione fiet, vt neq; Elenchus, neq; Paradoxon, inde efficiatur, cum nihil simpliciter, & determinatè asseruerit.

Quod est tertium peæceptum?

3 Tertiū præceptum est huiusmodi: quia manifestū est ex lib. 8. Topic. quomodo postuletur quæsitum in initio propositum, sivè quomodo fiat petitio principii: tum Respondens hac cautela vti debet: primò tollere & negare debet quicquid proximè accedit ad id, quod initio quæsitum est, neq; vllam ex eo genere interrogationem debet admittere, quasi illo modo idipsum, quod in initio quæsitum fuit, petatur. Secundò cum tale quid sibi concedi postulat sophista, quod necessa-

Hoc præceptum distribuunt nonnulli in duo præcepta.

necessariò quidem consequitur ex thesi sivè re proposita, falsum autem est, vel inopinabile: tum respõdere debet illud ipsum idem esse, cum eo, quod in initio quæsitum fuit. Nam quæ necessariò consequentur, ipsius thesis sivè rei initiò propositæ partes videntur.

Quod est quartum præceptum? 4

Quartum præceptum tale est: si sophista interroget vniversale aliquod non sub proprio nomine, sed parabola sivè similitudinis collatione obscuro aliquo nomine, quo concesso, absurdum sequi poterit: respondendum est sophistam non vt concessum fuit, nec vt ipse proposuit, id sumere in conclusione: quia propter hoc sæpè fit Elenchus.

Quod est quintum præceptum? 5

Quintum præceptum generale est. Si Respondens superioribus illis cautionibus & responsionibus excludatur, & iis vti non poterit, tum ad id confugere debet, vt non rectè probatum esse contendat, occurrendo sophisticæ captioni ex definitione Elenchi, quæ supra tradita est lib. 1. c. 3. & ostendendo illam definitionem dictæ captioni non convenire.

Hæc duo præcepta nõ nulli a quarto non distinguũt, sed ea tanquam partes ipsius constituunt. Quod quidẽ a ratione nõ multum est alienum.

Quod est sextum præceptum? 6

Sextum præceptum hoc est: Si sophista sub proprio nomine, & non parabola sivè similitudine aliquid interroget, tum necesse habet Respondens aut simpliciter respondere, nempè negando, vel concedendo: aut per distinctionem, partim negando, partim concedendo.

Quod est septimum præceptum? 7

Septimum præceptum est huiusmodi: Si sophista orationem truncatam & imperfectam, in qua aliquid necessariò intelligitur, interroget, Respondens non debet simpliciter respondere: sed qeærere potiùs à sophista, vt suam explicet sententiam. Nam si ad

huiusmodi

huiusmodi simpliciter responderit, non potest effugere, quin Elencho reprehendatur. Exempli causa:

Nonnè quod est Atheniensium, est possessio Atheniensium?

Et:

Nonnè homo est τῶν ζώων, id est, animalium?

Et:

Nonnè Lysander est τῶν λακώνων, id est, Lacedæmoniorum?

De Lysandro Lacedæmoniorum principe vide Plutarch. & Æmilium Probum.

Has orationes si simpliciter Respondens concesserit, statim Sophista eum Elencho redarguet, & falsam inferet conclusionem: hoc modo:

Quicquid est Atheniensium, est possessio eorum.
Themistocles est Atheniensium.
Ergo est possessio eorum.

Et:

Quicquid est animalium, est possessio eorum.
Homo est animalium.
Ergo est possessio eorum.

Et:

Quicquid est Lacedæmoniorum, est possessio eorum.
Lysander est Lacedæmoniorum.
Ergo est possessio eorum.

Quod si plenè ac perfectè sine aliqua ambiguitate illæ orationes interrogentur, non concederet eas Respondens: sed, vt interrogãtur, multiplices & ambiguę sunt. *Nam esse Atheniensium: Esse animalium: esse Lacedæmoniorum*, duo significant. Vel enim significant esse
1 se possessionem Atheniensium, Animalium, & Lacedæmoniorum, in quo sensu non sunt concedendæ illę
2 orationes: vel significant esse de numero Atheniensiũ, Animalium

Animalium & Lacedæmoniorum, hoc est, esse Atheniensem: Esse Animal: Et esse Lacedæmonium: in qua significatione veræ sunt: sed ex iis sic acceptis falsæ illæ conclusiones non inferuntur. Nam hominẽ ideò (Græca Phrasi) dicimus esse animalium, quia est animal: & Lysandrum esse Lacedæmoniorum, quia est Lacedæmonius. Perspicuum est igitur, vbi oratio est obscura & imperfecta, non esse simpliciter concedendam.

Quod est Octavum præceptum? 8

Octavum præceptum hoc est: Si duo sint ita inter se affecta, vt si hoc sit, illud quoq; necessariò esse videatur, sed non è contra, si illud sit, hoc esse necesse est: tunc Respondens, cum rogatur vtrum eorum esse putet, id dare & concedere debet, q f minus latet, quia difficilius est ex multis concludere.

Quod est Nonum præceptum? 9

Nonum præceptum est huiusmodi: Si sophista ex eo ducat argumentum, g quod huic nihil sit contrarium, illi autem sit aliquod contrarium, etiamsi verum dicat sophista, Respondens tamen dicat aliquid etiam cõtrarium esse alteri, sed ei nomen non esse impositum, quo appelletur.

Quod est decimum præceptum?

Decimum præceptũ cognoscetur, si præmittatur quędam distinctio propositionũ: Propositiones ergo sũt in duplici differentia: Quædam ita tritæ & vsurpatæ sunt, vt nisi quis eas concesserit, falsum dicere, necnon mentiri illum dicant omnes: Quædam sunt, de quibus contrariæ sunt Philosophorum opiniones, & de quibus nondum inter eos convenit: quale est illud: 10

An animalium anima sit mortalis, an immortalis?

Præcep-

Præceptum itaq́, hoc est: Si sophista talem propositionem interroget, vt incertum sit vtro modo dici soleat, cuiusmodi sunt [h] αἱ γνῶμαι, id est, sentẽtiæ (Nam Sẽtentias appellant & veras opiniones & vniversales enuntiationes: vt: *Diameter nõ habet communẽ mensurã cũ latere*) & prætereà de cuius veritate in vtramque partem sunt opiniones, in his (inquam) omnibus Respondens nomina [i] transferre debet. Sic enim maximè latere poterit, ne videatur à sophista reprehendi. Nam quia incertum est, vtrum verum sit, non videbitur sophisticè cavillari: Et quia in vtramq; partem sunt opiniones, non videtur falsò respondere. Translatio enim efficiet, ne oratio possit Elencho redargui, nec Respondens, qui eam attulit, à Sophista convinci.

Quod est vltimum præceptum?

11 [k] Vltimum præceptũ est huiusmodi: Respõdens providere & cavere debet, vt præsentiat interrogationes illas, quas sophista propositurus est. Sic enim maximè adversarium impediet, ne ad extremum, quod vult, efficiat.

SCHO-

SCHOLIA IN CAP. 2.

a Solutio argumentationum est duplex.

1 *Vera, quoties verè diluimus id, quod ab adversario propositum est, eaq; fit duobus modis.*

1 *Principio, si ostendamus falsũ esse propositum sivè præmißas, vel alteram earum.*

2 *Deinde, si docemus non esse ratam consequentiam, hoc est, si probemus conclusionẽ non necesßariò ex præmissis sequi,*

Ex Rodolpho Agricola lib. 2. cap. 22.

Altera ad hominem, puta, quæ non rei, sed homini satisfacit: fitq; ea trifariam.

1 *Primum regerendo, idq;*

1 *Vel in rem, quoties parem, aut etiam graviorem, quàm sit ea, quæ obiecta est nobis, adversario reponimus.*

2 *Vel in personam, cum ostendimus non decere, personam adversarii, ut hæc nobis obiiciat, etiamsi constet ea eße vera.*

1 *Deinde elevando, cum videri volumus contẽnere id, quod adversarius obiecit, dicimusq;, id tale eße, quod rideri magis, quã dilui mereatur.*

2 *Postremò digrediendo, cum animum auditoris digressu quodam à proposito abducimus: itaq; aliis occupamus, ut eius, quod obiectum est nobis, quædam obrepat oblivio, & quanquam nõ sit, tamen dilutum esse videatur.*

Arist.

Nota. *Arist. c. 3. huius lib. solutionẽ verã vocat* τὴν λύσιν πρὸς τὸν λόγον, καὶ πρὸς τὰ ἐρωτώμενα, *hoc est, solutionẽ ad argumẽtationẽ, & ad interrogata: alteram, quæ est ad hominem, appellat* λύσιν πρὸς τὸν ἐρωτῶντα, καὶ πρὸς τὸν ἄνθρωπον *id est, solutionem ad interrogantem. Solutio ad hominem reverà non est solutio, sed effugium quoddam: unde*

Ibidem. *Rodolphus Agricola: sunt alia solvendi (inquit) vel (si magis proprium volumus eis nomẽ dare) elabendi rationes, quæ vulgò dicuntur solutiones ad hominem. Ad eas refugimus quando ex re parum speramus auxilij: quia firmior est argumentatio, quàm vt aliqua parte infringi labefactarive possit: vel quia datur occasio de adversario dicendi: quem quia possumus acriùs retundere, malumus in ipsum orationem, quàm in rem ingerere. Notat idem Agricola* soluendi *verbum, quamquam commune sit neganti & distinguenti, rectiùs tamen distinguenti convenire. Nam quisquis negat, non patitur confici argumentationem: quæ autem confecta non est, propriè solvi dici non potest. At cum multiplex distinguitur, est utiq; in speciem confecta: rectiùs igitur solui dicetur. Hæc Agricola.*

Est & tertia solutionis species, quæ dicitur solutio ad tempus, ficut testatur Arist. lib. 2. cap. 7. in fine.

Nota. b. *Si quis interroget,* vtrum omnis canis latret? *Et Respondẽs concedat: Et:* vtrũ stella sit canis? *& iterum idem concedat: si posteà opponens inferat:* Ergo stella latrat: *Respondens iam factã cõclusione non potest* Canem, *quæ vox est æquivoca*

&

& in præmissis reperitur, distinguere: quia anteà concessit vtrasq; præmissas: unde necessariò conclusio sequitur, vel saltem sequi videtur: quo fit, vt, etiãsi dixerit se intellexisse omnem canem domesticum latrare, incertũ sit, an sit redargutus. Sed nunc solent Dialectici, qui respondent, totam argumentationem expectare, antequam omninò ad eam respondeant: unde iam, facta conclusione, præmissas distinguere possunt Respondentes, non obstante eo, quod apud Arist. hic reperitur: quia hoc intelligi debet, postquam interrogationes concesserit Respondens.

c Ex his perspicuum est Aristotelem primum fuisse inter Græcos, qui ad syllogismos diluendos invenerit Artem per distinctiones. Ante enim ipsius tempora (vt notat Alexander) sophistæ ad omnes interrogationes qualescunq; simpliciter respondebant aut negando aut concedendo. Nec in Dialogis Platonis invenimus Socratem vel alium respondere per distinctionem. Niphus.

Aristoteles primus invenit responsionem per distinctionem.

d Græcè habetur μυρία, quæ vox significat innumera, infinita. Μυρίος enim infinitum, immensum significat. Alij legunt μύρια (proparoxyt.) quæ vox significat decem millia: qui numerus apud Græcos, sicut sexcenta apud Latinos pro quolibet incerto numero vsurpatur.

e Ex hoc loco patet propriè dici & vsurpari nõ solũ synonyma, sed etiã homonyma. Neq; enim κυρίως, id est,

Albertus.

est, propriè dici, *&* Homonymως dici *sunt contraria, sed* κυρίως *&* ἀκύρως. *Ergo Homonyma etiam possunt* κυρίως *dici. Ac propterea rectè præcipimus, cum dicimus, aut respondendum esse simpliciter* Etiam, *vel* Non: *aut in responsione adhibendā esse distinctionem, quoties vocabula ipsa propriè dicuntur & vsurpantur. Nam si vocabula illa, quibus interrogatio exprimitur, sint* ἄκυρα, *neutro modo respondere cogimur.*

Idem. f *Plures rationes adhibendæ sunt ad concludendū, cum ponitur & conceditur illud, quod minus latè patet: ac propterea maius onus imponitur interrogāti, cū cogitur rationes illas afferre. Exempli causa, si quis roget:* vtrū salubris & pestilētis, an cōtrariorū omniū eadē est scientia? *Vt vz. ex alterutra propositione concessa & posita efficiat*, causæ febrē procreantis, & causæ febrē tollentis, esse eandē scientiā: *Respondendū est, te malle cōcedere* Salubris & pestilentis eandem esse scientiam. *Sic enim ille, qui opponit, cogetur plures rationes afferre, ex quibus efficiat* causæ febrē procreantis, & causæ febrem tollentis eandē esse scientiam. *Nam pluribus Medijs opus erit. Sic, cum propter consecutionem inversam* factum nō esse *latiùs pateat, quàm* principium non habere. *Si sophista roget hunc in modum: vtrum* Mundus non est factus, an principium non habet? *Respondendum est, te malle concedere* Mundum non habere principium, *quia hoc minus latè*

latè patet, quàm illud. Unde maius opus ei imponitur. Cogetur enim plures rationes afferre, vt probet Ea quæ sunt in Mundo, non habere principium.

g *Vt si sophista dicat* omni morbo valetudinē esse contrariā: at Ophthalmiæ, podagræ, &c. nihil esse contrariū: *Respondendū est his etiam, et vnicuiq; alij morbo esse aliquid contrarium, sed cōtrarium illud nomen non invenisse. Albertus.*

h *Hoc loco* καταχρηστικῶς *sententiæ* τ̃ γνώμης *voce abutitur. Nā cum propriè sententia sit oratio sumpta de vita, quæ aut quid sit, aut quid esse oporteat in vita breviter ostendit: vt Cicero lib. 4. Rhetoric. definit. Hîc generatim quævis sententiæ atq; opiniones probabiles de re quacunq; ita vocantur, sivè vitam attingant, easq; res, quæ in vita expetendæ seu fugiendæ sunt: sivè non attingant.* Sententiam *(inquit Quintilianus) veteres quod animo sensissent, vocaverunt, id cum est apud oratores frequentissimum, tum etiam in vsu quotidiano quasdam reliquias habet, &c. sententiam propriè dictam definit Arist. his verbis. Sententia est non de singularibus, vt qualis quidem Iphicrates sit, sed de vniversali enūciatio: nec de omnibus vniversalibus, vt* rectū obliquo contrarium esse, *sed de quibuscumque operationes sunt, quæ ad agendum eligenda, vel fugienda sunt. Vide ibid. & lib. 6. Ethic. cap. 11. lib. Rhetoric. ad Alex. cap. 11.*

Lib. 2. Rhet. ad Theod. c. 21.

i Trásferens dicitur (vt notat Faber Stapul.) qui translaticiè loquitur, & vtitur Metaphora, dum vtriusq; partis opinionem quadam similitudine videtur tueri. Exemplum huius praecepti tradit Alberius, quod huiusmodi est. Si sophista roget, hunc in modum:

Estné anima animalium crasis, & si est crasis, nonné est mortalis?

Respondens vocabulum crasis mutabit in vocabulum translatum, nempè in harmoniam, dicetque Animam esse harmoniam, néque posse id esse, quod harmonia contrarium est, ac propterea animã esse immortalem. Aut, si commodius videatur, adhibebit vocabulum etiam non translatũ: verbi gratiâ: respondebit, Animam neq; esse accidens, neq; esse corpus concretum, sed esse naturã, sivè substantiam simplicem, quæ nihil admixtum habeat: ac proindè esse immortalem. Sic enim Respondens Sophisticas insidias prudenter vitabit. Nam cum non sit constitutũ apud vulgus vtrũ anima animalium sit mortalis necne: Respondens non videbitur Sophisticè respondere: et quoniam sententia dubia est, non videbitur mentiri. Quinetiam Metaphora adhibita in responsione efficiet, vt neq; reprehendi, neq; convinci posse meritò videatur. Hæc Alberius. Alexander per translationem intelligit resumptionẽ nominũ interrogationis in suum vtile, scil. vt lateat. Ex quibus colligitur locus valdè vtilis, & est talis: Cũ ignoraverimus

mus responsionem ad interrogationem nobis propositam, debemus transferre nomina interrogationis ad nomina ignota opponenti. In colluctationibus Patavinis (inquit Niphus) propositum fuit semel cuidam profitenti Metaphysicam:

Vtrum latitudo caliditatis vniformiter, difformiter difformis sit vniformis, an difformis?

Respondit:

Quidditatem magnitudinis caliditatis, æqualiter inæqualiter æqualē esse tantum ipsam.

Et sic evasit ab interrogatione obscura. Sed prior expositio, quæ etiam est apud Alexandrum, est magis consona ipsi Philosopho.

k *De vltimo præcepto vide Arist. lib. 8. Top. c. 4.*

ANALYSIS

CAP. 3.

ARGVMENTVM.

ARistoteles in primo cap. huius libri quatuor tractanda sibi proposuit: quorū duo hactenus pertractavit, nempè quartum in primo cap. & primum in secundo. Iam ad reliqua pertractanda se accingit: ostendit ergo in hoc capite quomodo oporteat rectè soluere Sophisticas captiones, Tres sunt principa-

cipales partes huius capitis. Primò agit de recta seu vera solutione paralogismorum in genere. Secundò speciatim agit de vera solutione paralogismorum vniuscuiusq; Fallaciæ *intra dictionem*. Tertiò generalem modum soluendi captiones *intra dictionem* declarat.

Quid est recta seu vera solutio Paralogismorum?

Recta solutio est patefactio falsi syllogismi, docendo ex qua interrogatione sivè præmissa falsum concluditur.

Quot modis syllogismus dicitur falsus?

Duobus modis: vno, si fallò conclusum est: altero, si cũ non sit syllogismus, videatur esse syllogismus: Hoc est, falsus syllogismus vel peccat in Materia, quando ex altera, vel vtraque præmissa infertur falsa conclusio: vel peccat in Forma, nempè, cum in Modo & Figura non concluditur, videtur tamen concludi: vndè & recta solutio non solum est illius, qui peccat in Materia: sed etiam huius, qui peccat in Forma: quæ nihil aliud est, quàm correctio interrogationum, docens ob quam interrogationem conclusio non sequitur, sed videatur tantum sequi.

Quomodo argumentationes sivè syllogismi peccantes in Materia, & peccantes in Forma soluuntur?

Argumentationes peccantes in Materia, quæ ex falsis concludunt, * negatione: argumentationes verò peccantes in Forma, quæ concludere tantũ videntur, distinctione soluuntur.

Quot sunt argumentationum species, quæ necessariò concludunt, hoc est, peccantium in Materia?

Duæ sunt. Nam quædam verum concludunt, hoc est,
1 veram habent conclusionem, sed falsas præmissas.
2 Quædam falsam habent conclusionem, & præmissas falsas.

Quot

Quot modis soluuntur argumentationes, quæ falsam habent conclusionem?

Duobus modis. Primò tollendo sivè negando vnā vel vtramq; præmissam. Secundò ostendendo non ita se habere conclusionem.

Quomodo soluuntur argumentationes, quæ [b] falsas habent propositiones seu præmissas, & veram conclusionem?

Hæ vno tantum modo soluuntur, nempè tollendo sivè negando præmissam, quæ falsa est: quandoquidem cōclusio vera est.

Quot observare debent ij, qui argumentationes solvere volunt?

Hæc duo: 1. observare debent [c] Formam argumentationis, vtrum in Modo & Figura quis concluserit necné. 2. Materiam debēt observare, vtrum scil. conclusio sit vera an falsa: vt vel distinguendo, vel tollendo sivè negando dissolvāt: negando, aut hoc aut illo modo: id est aut conclusionem & propositiones: aut propositiones tantum, sicut antè dictum fuit.

Num eodem modo dissoluitur argumentum, cum quis ab alio interrogatur, & cum non interrogatur, sed cum per se, nullo opponente, illius vim exquirit?

Nequaquam. Nam [d] qui ab alio interrogatur, maiori cum difficultate argumentum soluit: quia statim & sūmâ cum celeritate opponenti respondēdum est: Statim autem & ex tempore occurrere captioni difficile est: Qui verò non interrogatur, sed apud se argumentationem aliquam perpendit, multò faciliùs argumentum dissoluit: quia per otium illam ponderat, & exquirit.

De solutione captionum, quæ ex Homonymia vel Amphibolia ducuntur.

Quomodo soluuntur captiones, quæ ex Homonymia & Amphibolia ducuntur?

Illud intelligetur, si hæc duo præmittantur. 1. Harum captionum genera seu divisio. 2. Earundem distinctio & discrimen.

Quot sunt harum captionum genera?

Duo: vnum earum, quæ interrogationem habent plura significantem, hoc est: quæ in præmissis tantum, & non in conclusione multiplicitatem sivè ambiguitatē habent: Alterum earum, quę Conclusionem multifariam acceptam habent, hoc est, quibus in conclusione inest multiplicitas. Exempli causa:

Quem contingit silere, contingit λέγειν,

Σιγῶντα contingit silere.

Ergo σιγῶντα contingit λέγειν.

Vel sic: lapis est tacēs, sed contingit lapidem dicere. Ergo contingit tacentem dicere.

Huius captionis conclusio continet ambiguitatē: hæc verò, quæ sequitur, habet multiplicitatem in Præmissis tantum,

Qui scit dicere aut facere, illud quoq; simul scit quod dicit aut facit.

Sed indoctus scit dicere, hoc est, recitare carmina Jambica.

Ergo indoctus simul scit carmina Jambica.

Maior propositio est ambigua. Nam prædicatum ipsius est anceps. Aut enim significat eū scire quiq dicat: Aut perfectā habere cognitionē eius, quod dicit: vtputa qui recitat aliquod cara

Conclusio est falsa Nam indoctus non scit carmina Iābica: quia ea ignorat. Maior propositio ambigua est. Nam *scire ea, quæ quis dicit,* vel significat aliquem habere perfectam scientiam & intelligentiam rei, quę dicit aut facit: vel significat eum habere scientiam dictionum, quod eas memoriter possit recitare, Ergo verbū *scire* homonymum est. Nam potest quis scire vel perfectā scientiā rei, quem scitiet sic in præmissis non sumitur: vel quoad dictiones et significationē: & sic *scire carmina* nihil aliud est, quàm ea recitare: vnde sequitur falsa conclusio, in qua verbū *scire* ad priorē sensum non ad posteriorē refertur. Ac duplex sivè ambiguū in qua-

quacunq; sit propositione, sivè in præmissis, sivè in cõclusione, aliâs est verũ, aliâs nõ est verũ. quod enim est duplex, partim significat quod est, partim quod non est, id est, partim verum, partim falsum.

Quam statuis differentiam inter duo illa captionum genera?

In illis, in quarũ fine, id est, conclusione inest multiplicitas, non fit Elenchus, nisi Opponens à Respondẽte acceperit contradictoriam eius, quam concludit, & Respondens multiplicem illam conclusionem abnegaverit: vt in illa captione,

Cæcum videt.

Ergo contingit cæcum videre.

Respondens Elencho non redarguitur, nisi priùs abnegaverit illam multiplicem conclusionẽ, & huius cõtradictoriũ sophistæ dederit. Sed in illis argumentationibus, in quarum interrogationibus sivè præmissis inest multiplicitas, potest fieri Elenchus, etiamsi Respondens non abnegaverit interrogationẽ multiplicẽ. In his enim non est necesse priùs negare, quod duplex sivè ambiguum est: quia non ad hoc ambiguum concludendum pertinet sophistæ, argumentatio, sed ex hoc ambiguo ducitur.

His præmissis, iam modum soluendi captiones Homonymiæ & Amphiboliæ tradas velim: quomodo ergo soluuntur?

Soluuntur vel per distinctionẽ Multiplicis: sivè vocis, vt in Homonymiæ, sivè orationis, vt in Amphiboliæ captionibus: vel per additionem alicuius vocis.

Quando solvũtur per distinctionẽ: quãdo per additionẽ?

Soluuntur per distinctionem, cum in initio est duplex hoc nomen, vel oratio: hoc est, cum perspicimus ambiguum, antequã inferatur conclusio. Solvũtur per additionem, cum ab initio latet multiplicitas, nec eam perspicimus ante cõclusionẽ. Nã si initio est multiplex

sol-

mẽ, scit quid dicit, id est, intelligit se recitare hoc carmen, & intelligit quę sit eius sentẽtia: sed non habet perfectam cognitionem omnium, quę ad hoc carmen spectant: vt puta nescit, quale sit carmẽ, & ex quibus pedibus constet.

ſoluitur captio per diſtinctionem, dicendo interrogationem vel concluſionem in vno ſenſu veram eſſe: in altero verò falſam: & explicando in quo ſenſu teneat illatio ſive concluſio: in quo nõ tenet: veluti σιγῶντα λέγειν, altero modo verũ eſſe: altero modo falſum. Itẽ ſiquis interroget, Nonnè τὰ δέοντα ſunt facienda vel bona? Reſpondendum eſt τὰ δέοντα in vno ſenſu eſſe facienda: in alio ſenſu non eſſe facienda. Si verò ab initio lateat multiplicitas, tum captio per alicuius additionem ſoluenda & corrigenda eſt. Nam concluſioni aliquid adiiciendum eſt: vt Si Sophiſta concludat:

Prius exemplum ad Amphiboliam: Poſterius ad Homonymiã pertinet. De vtroq; dictũ eſt lib. 1. c. 3.

Ergo contingit σιγῶντα λέγειν:

Reſpondens concluſioni aliquid adiiciet, hoc modo:

Contingit τὰ σιγῶντα λέγειν, ſed τὸν σιγῶντα λέγειν *non contingit*.

Idem erit in iis faciendum, quæ multiplicitatem habent in propoſitionibus ſivè præmiſſis, quas forſaſſe Reſpondens affirmare vel negare coactus eſt, eò quod non animadvertebat latentem in iis ambiguitatem: Exempli cauſa, ſi Sophiſta ſic concludat,

Ergo non ſimul ſciunt, quod ſciunt:

Reſpondens concedet concluſionem: ſed aliquid etiam adiiciet hoc pacto:

Ergo non ſimul ſciunt, quod ſciunt hoc modo.

Neq; enim hoc idem valent, *Non accidere, vt qui ſciũt, ſimul ſciant*: Et, *non accidere, vt qui hoc modo ſciunt, ſimul ſciunt.*

Eſtne generalis modus ſoluendi has captiones Homonymiæ & Amphiboliæ?

Eſt: iſq; talis eſt. Reſpondens ſemper contendere debet, etiamſi Sophiſta ſimpliciter concluſerit contradictio-

dictionem eius, quod sine distinctione concessum aut negatum est, illum tamen non eam rem, quam ipse affirmaverit, aut negaverit, sed nomen & verba tantum refutasse: ideoq; non esse Elenchum: siquidem Elenchus est contradictio vnius & eiusdem non nominis tantum, sed etiam rei: vt suprà dictum est lib. I. c. 3.

De solutione captionum, quæ ex Compositione & Divisione oriuntur.

Quomodo solvuntur captiones Compositionis & Divisionis?

PErspicuum est quomodo hæ solvendæ sunt. Solvuntur enim hoc modo: si oratio divisa, & coniūcta diversam habeāt significationem, & sophista alteram earum concludat, Respondens in solutione respondere debet illud, quod sophistæ conclusioni contrarium sit, quodq; ei repugnet: hoc est, si sophista conclusionem in sensu diviso inferat, Respondens dicet conclusionem potiùs inferendam fuisse in sensu coniuncto: & si sophista conclusionem in sensu coniuncto colligat, Respondens dicet eam in sensu diviso potiùs colligendam: & sic contrarium conclusioni ipsius sophistæ semper subiicere debet. Vndè sustinenda est solutio, et reiicienda in conclusionem, nec opus est interrogationes sivè præmissas distinguere, sicut in captionibus Homonymiæ & Amphiboliæ. Sunt autem omnes eiusmodi argumentationes ex Compositione & Divisione:

Numquid quo tu vidisti hunc percussum, eo ille percussus est?
Sed oculo tu vidisti hunc percussum.
Ergo ille oculo percussus est.

In

In cõclusione, *oculo*, cõiungitur cum verbo *percussus est*, a quo reverà separari & seiũgi debet. Ergo sophista in conclusione hæc duo coniungit, quæ Respondens non coniungenda, sed dividenda esse asseverabit: atq; sic sophistæ conclusioni contrarium respondebit. Alterum exemplum hoc sit:

Numquid quo quis percussus est, eo tu vidisti percussum?
Sed gladio quis percussus est.
Ergo gladio vidisti eum percussum.

In conclusione, *Gladio, cum verbo vidisti* coniungitur, à quo tamen separari debet.

Obiectio.

Hæ captiones referri debent ad Amphiboliam, cum interrogationes earum sint ambiguæ. Ergo ad Cõpositionem non pertinent.

Solutio.

Quamvis equidem hæ captiones ambiguas habeant interrogationes: tamen ad locum sivè Fallaciam Cõpositionis referuntur. Neq; enim s Duplex sivè Multiplex (saltem actuale) appellari potest, quod modo cõiunctam, modò divisam habet sententiã: quãdoquidẽ oratio non manet eadem (saltem quoad Formam) cùm divisa accipitur, quæ anteà erat coniuncta.

Quomodo probas captiones Compositionis & Divisionis non continere Multiplex actuale, quale est in captionibus Homonymiæ & Amphiboliæ.

Ratione à simili ducta hoc possum probare. Nam eadem est ratio captionũ Compositionis et Divisionis (quantũ ad hoc pertinet) quæ est captionũ Accẽtus, in quibus eadem vox diversis accentibus signata locũ habet: sed captiones Accentus non continent Multiplex actuale, quale est in captionibus Homonymiæ & Amphiboliæ. Ergo nec captiones Compositionis

&

& Divisionis continent tale Multiplex. Minor prob. hoc exemplo:

ὅρος est definitio & essentia rei.
Sed mons est ὄρος.
Ergo mons est definitio & essentia rei.

In hac captione non est Multiplex actuale, quale est in Homonymiæ & Amphiboliæ captionibus. Nam ὅρος & ὄρος etiamsi quoad scripturã sint vnum idemque vocabulum, cum & elementis, hoc est, literis eijsdem, & eodem modo (ablatis accentibus, qui in scriptura non solent depingi) scribantur: tamen quoad Formam & proferendi modum non sunt eadem: Ergo non continent Multiplex actuale: siquidem Multiplex actuale posuerimus, cum eadem dictio secundum materiam & formam, plura significat.

ὅρος significat terminũ & definitionem: ὄρος significat montẽ.

Quid hinc concludis?

Concludo non verum esse, quod aliqui voluerunt, scil. omnes Elenchos sophisticos pertinere ad locum ex *Multiplici actuali*: quia tales ad Homonymiam & Amphiboliam tantum pertinẽt. Distinguere tamen debet Respondens illas captiones ex Compositione. Nam non idem valet, si dicas,

Vidisse te oculis, aliquem percussum,

Ac si diceres,

Vidisse te, oculis aliquem percussũ.

Illa enim divisa est & vera: hæc coniuncta & falsa. Huc etiam referri potest Euthydemi ratio, quã ex hac interrogatione colligebat:

[h] *Num nosti, seu vidisti tu nunc stãtes in Piræo triremes in Sicilia cum sis?*

Triremes sũt naves tres ordines remorum habentes.

Aliud exemplum hoc est: si quis hanc conclusionem interroget: *Num bonus sutor malus est?* Et Respondens hanc conclusionem negaverit, sic insurget sophista:

Simon

Simon malus est.
Simon est bonus sutor,
Ergo bonus sutor malus est.

Aliud exemplum hoc sit:

Quorum bonæ sunt scientiæ, sunt bona mathemata, sivè disciplinæ.
Sed mali bonum est mathema.
Ergo malum est bonum mathema.

Mathema est id, quod discitur, quatenus discitur.

Hoc concesso, sic vlteriùs progreditur sophista:

Malum est mathema.
Et malum est malum.
Ergo malum est malum mathema.

Aliud exemplum hoc est.

Verè dicitur nunc te natum esse.
Ergo tu nunc natus es.

In cõclusione huius captionis adverbium *Nunc*, quod cum verbo *Dicitur* coniungendum erat, ab eo separatur, & cum participio *natus es* coniungitur: itaq; vt soluamus istam captionem, adverbium *Nunc* à participio *Natus es* separandum est, ad verbum *dicitur* referendum. Magnum enim est discrimen hoc modo illa oratio proferatur:

Verè dicitur nunc, te natum esse:

An isto modo enuncietur:

Verè dicitur, nunc te natum esse.

Prior sensus coniunctus est & verus: ex quo non sequitur falsa illa conclusio: posterior autem divisus est, & falsus, ex quo falsa illa conclusio colligitur.

Aliud exemplum hoc est:

Num quomodo potes, & quæ potes, hæc & eo modo vtiq; feceris?
Sed non pulsans citharam pulsare illam potes.
Ergo non pulsans citharam, pulsaveris tamen:

In conclusione huius sophismatis *Non pulsans citheram*

malè

male coniũgitur cum verbo *pulsaveris*: itaq; seiungendum est ab eo, & coniungendum cum verbo *Potes*. Nam Minor propositio duplicem habet sensum: vnum divisum, qui hic est:

Tu, qui iam non pulsas citharam, posteà potes illam pulsare:

Alterum coniunctum, qui hic est:

Tu, qui iam non pulsas citharam, iam illam pulsare potes.

Prior verus est; posterior falsus, ex quo falsa illa conclusio sequitur.

Quomodo veteres soluebant hoc sophisma?

Veteres hoc modo soluebant: Quamquam (inquiũt) Respondens Maiorem propositionem illius sophismatis concesserit, nempè *se facturum, quomodo facere potest*: tamen inde non sequitur illa conclusio, scil. *vt non pulsans citharam, pulset tamen*: quia non quocunque modo facere potest, concessit se facturum, neque idem valet (inquiũt) *Quomodo potest*, et, *Quocunq; modo potest facere*.

Num veteres hoc modo rectè solvebant illud Sophisma?

Nequaquam. Nam omnis solutio vera & recta convenit omnibus captionibus alicuius loci sophistici sivè Fallaciæ: sed hæc solutio non convenit omnibus captionibus Compositionis. Ergo non est vera, & recta: vnde hæc solutio est ad interrogantem, non ad interrogata & ad argumentationem, hoc est, est solutio ad hominem, non ad rem.

De solutione captionum, quæ ducuntur ex Accentu.

Quomodo soluuntur captiones, quæ ducuntur ex Accentu?

Quomo-

QVomodo ſolvendæ ſunt captiones Accentus, non difficile eſt cognoſcere: quia neq; in orationibus ſcriptis, neq; in pronuntiatis ſivè ore prolatis niſi admodum paucæ reperiuntur: qualis eſt iſta:

Nonné τὸ οὗ καταλύεις domus eſt? certè.
Nõne τὸ οὐ καταλύεις eſt negatio τοῦ καταλύεις? Dixeras autem τὸ οὗ καταλύεις eſſe domum.
Ergo domus eſt negatio.

Vel.

Nonné οὗ habitas, domus eſt? certè.
Nonné illud οὐ eſt negatio huius uerbi habitas?
Ergo domus eſt negatio.

Solutio huius captionis manifeſta eſt. Non enim idem ſignificat illud ου cum acuto, et cum circuflexo tono notatur. Nam illud ſignificat *Non*: hoc vero ſignificat *Vbi.* In poſteriori ſenſu ſumitur in maiori: in priori autem in aſſumptione ſivè in Minori.

De ſolutione captionum, quæ ducuntur ex Figura dictionis.

Quomodo ſoluuntur captiones, quæ ex Figura dictionis oriuntur, in quibus colligitur quod eodem modo dicuntur, quæ eadem non ſunt?

SOlutio huiuſmodi captionum non erit difficilis, ſi genera Categoriarũ teneamus & diſtinguamus. Nam hæ captiones ex eo concludi videntur, quòd genera Categoriarum ſivè Prædicamentorum confundat ſophiſta. Nam quod Reſpondens interrogatus negavit quippiam eorum, quæ Eſſentiam ſivè Subſtantiam ſignificant, ſophiſta interrogans illud transfert ad Relationem, Quantitatem, aut aliquod aliud Prædicamentum: quę, ſi nominum & dictionum ſimilitudinem ſpectes, videntur Subſtantiam ſignificare:

ficare: vt in hac argumētatione: si sophista hanc conclusionem interroget:

Acciditné quempiam idem simul facere & fecisse?

Si Respondens negaverit, sic contrarium probabit sophista:

Accidit eandem rem & secundum idem simul videre & vidisse.

Ergo accidit quēpiam idem simul facere & fecisse.

Ecce in hac argumentatione progreditur à Prædicamento *passionis*, ad prædcamentum *Actionis*. Nam *videre* in Antecedēte etiamsi actionē significare videatur, tamen Passionem significat: siquidē *sentire* est *pati*. *Facere* verò in conclusione Actionē denotat. Vnde negādum est illud argumētū. Elēchus enim nō est, nec esse videtur, si Respondēs non cōcesserit *videre* esse *Facere*, sed *pati*: simili ratione si hāc interrogationē proponit:

Estné aliquid facere & pati? *hoc est, Num aliquid eorum, quæ Actionem significāt, passionem etiam significet?*

Pupilla oculi simul videt & videtur.

Hoc si negaverit Respondens, contrarium probat sophista in hunc modum:

Nonné τέμνεται, καίεται * αἰσθάνεται *(i. secatur, vritur, sentit) similiter efferuntur, & omina pati, quiddam significant? Rursus nonné* λέγειν, τρέχειν, ὁρᾷν, *(id est, dicere, currere, videre) simili inter se modo dicuntur, &* Agere *significant?*

* Gronchius & alii loco huius verbi subiiciunt: *Operatur*, vt latina verba quoad dicendi formam sint similia, sicut Græca.

Sophista hæc tanquam concessa accipiens, vlteriùs progreditur, & perficit ratiocinationem, assumendo Minorem hoc modo:

Sed τὸ ὁρᾷν (*id est,* videre) *est* αἰσθάνεσθαι, *hoc est, species ipsius* sentire.

Ergo aliquid simul est facere & pati:

In hoc sophismate duę Categorię, nempè τὸ ποιεῖν καὶ τὸ πάσχειν, hoc est, *Agere* & *Pati* propter similem dicendi formā confunduntur: Respondens tamen adhuc

Elencho non redarguitur:quia non respondit ad duas illas interrogationes,neq; cõcessit tria illa verba τέμνεται, καίεται, αἰσθάνεται Passionẽ significare: neque reliqua tria λέγειν, τρέχειν, ὁρᾶν actionem significare, cum reverà ὁρᾶν Passionẽ potius denotet:ideoq; Respõdentẽ nõ reprehẽdit(cũ ex non concessis disputet)sed videtur apud auditores reprehendisse.Hi enim existimant Respondentem illud ipsum concessisse,quia simile quiddã fortasse concessit,nempè *Secare* esse *Facere quiddã*;et *secuisse,fecisse quiddã*:vnde illi,quia vident hæc, & huiusmodi ab eo cõcessa,existimãt etiã eũ & alia cõcessisse, quę reverà non concessit:Atq; sic reliqua semper supplent auditores:quasi in omnibus essent similia, & hoc ipsum concessisset Respondens,cũ similia non sint,sed videntur esse propter quandã similitudinem. Atq; ita in his captionibus idem vsuvenit, quod in iis,quæ ducuntur ex Homonymia,in quibus auditores,si verborũ vim & significationẽ ignorent,putant Respondentem non tantum idem nomen,sed eandem etiã rem negare,quod affirmaverat opponens:aut affirmare, quod ille negaverat:cum tamen opponens necesse habeat, vt adversariũ redarguat,interrogare pręterea an eâdẽ semper significatione accipiat verbum homonymum: quo certè concesso,verus sequitur Elenchus. Sunt autem & quæ sequuntur captiones superioribus similes.

Nonnè quod quis habuit,& iam non habet,illud amisit?
Sed qui vnum tantum ex decem talis, vel aleis amisit, iam non habet decem talos.
Ergo qui vnum amisit talum,decem talos amisit.

In hac captione fit transitus à Prædicamento Substãtiæ ad Prædicamentũ Quantitatis. Nã in interrogatione sivè in Maiori ponitur Substantia:in conclusione verò infertur Quantitas. Illud enim, *Quod*,Substantiã significat: at, *Decem*,Quantitatẽ,nẽpè numerũ significãt.Ergo malè in conclusione Quantitas ex Substãtia colli-

colligitur, necnon malè transfertur Substãtia ad Quãtitatem. Si autem quis ab initio interrogasset,

Num quot quis habuit, & iam non habet, tot amisit?

Nemo id concessisset, sed dixisset, vel tot, vel horũ quippiam eum amisisse. Quare verum erat dicere:

Quod quis habuit, & iam non habet, illud amisit:

Sed non verum erat dicere,

Quantum vel quot quis habuit, & iam non habet, tantum vel tot amisit.

Huius quoq; generis est captio, qua concluditur dare aliquem quod non habet, quæ est huiusmodi:

*Aliquis dat vnum solum * denarium:* * Calculum.

At non habet vnum solum denarium:

Ergo dat, quod non habet.

In hac captione fit progressus ab eo, quod refertur *ad aliquid* sivè à *Relatione* ad *Substantiam*. Nam in conclusione infertur Substãtia ex eo, quod *ad aliud* refertur. Nam illud, *Quod*, in cõclusione Substantiam significat: cùm, *solum*, in præmissis non significet hoc, nẽpè Substantiam, nec Quale, nec Quantum, sed quomodo refertur ad alterum, veluti non haberi illud vnâ cum alio. Habet igitur hæc captio eandem vim, ac si quispiam ita interroget:

An possit aliquis dare citò, quod citò non habet?

Hoc si fuerit concessum, eandem cõclusionem inferet Sophista:

Ergo potest aliquis dare, quod non habet.

Perspicuum est eum non rectè conclusisse. Nam hîc fit progressus, vt in præcedenti captione, ab eo, quod *ad aliud* refertur, ad *Substantiã*. Etenim, *citò dare*, nõ est hoc dare, sed ita, seu hoc modo dare. Fieri enim potest, vt alio modo quis det, quam habeat: verbi gratia: Quod libenter, vel cũ voluptate quis habet, dare potest gravatè & cum dolore. Superioribus captionibus hę quoque similes sunt:

Aliquis vna sola manu verberare potest.
At vnam solam manum non habet.
Ergo eâ, quam non habet, manu verberare potest.

Item.

Aliquis vno solo oculo videre potest.
At vnum solum oculum non habet.
Ergo eo, quem non habet, oculo videre potest.

Quomodo Antiqui has captiones soluebant?

1 Tres solutiones ab Antiquis traduntur: Nonnulli dicũt & vnũ solum sivè oculum sive aliud quidvis eũ habere,
2 qui plura habet. Alii verò dicunt idipsum omninò hũc accipere, quod alius dat, quippe cum vnum solum det
3 iste calculum, aliusq; non plus quã vnum ab altero accipiat: vnde hi conclusionem videntur negare. Alii autem statim interrogationem tollentes & negantes, affirmant fieri posse, vt quis habeat, quod non accepit: veluti siquis dulce vinum accipiat, si corruptum sit inter accipiendum, habeat acidum, cum non acidum, sed dulce accepisset.

Num hæ Antiquorũ solutiones veræ sunt & rectæ?

Non sunt: quia, vt ante dictum est de solutione Antiquorum, quam adhibebant captionibus *Compositionis*, non ipsam argumentationem dissoluunt, sed homini tantum occurrunt: vnde sunt solutiones *ad hominem*, non *ad argumentationem*.

Quomodo illud probas?

Hac ratione: si hæ solutiones veræ essent, & ad argumentationem accommodatæ, tum qui cõtrariam vel aliam solutionem adhiberet, non omninò posset istas captiones diluere: sed hoc falsum est. Ergo & illud. Minor prob. Illæ captiones possunt dilui per distinctionẽ Prædicamẽtorum, ostendendo transitum fieri ab vno ad aliud: sicut ante dictũ est: Maior patet: quia contrariæ & diversæ solutiones non sunt veræ solutiones: siquidem vera solutio vno modo tantùm fit, sicut videre

re est in omnibus aliis captionibus: exẽpli causa: captio, quæ oritur ex Homonymia, vno tantum modo fit, nempè per distinctionem Multiplicis docendò propositionem in vno sensu verã esse, in altero sensu falsam. Itaq; si Respondens non adhibuerit huiusmodi solutionem, sed simpliciter concesserit, necessariò conuincetur, quia Sophista cõcludit Elenchũ: sin qui hoc fecerit, non conuincatur necessaria conclusione, nõ erat perfectò vera illa solutio. In captionibus verò paulò ante dictis, concessis omnibus, nullus fit syllogismus: quia omnes habent in se Multiplex: ideò vera solutio non erit, nisi per distinctionem. Huc etiam referuntur & illæ, quæ sequuntur, captiones:

Nonné quod scriptum est, id scripsit aliquis?

Atqui scripta est hæc falsa oratio : Tu nunc sedes, *quæ tamen vera erat, quando scribebatur.*

Ergo simul falsam et veram orationẽ scripsit aliquis.

In hac captione ipsum *Quid* in *Quale* sivè in *modum quendam* mutatur. Nam *falsam et veram orationem opinionemvé esse* non hoc, id est, Substantiam seu ipsum Quid, sed tale aliquid, id est, Qualitatem declarat. Dixi autem *opinionẽ*, quia eadem est ratio illius, & *orationis*. Item:

Nonné quod discit discens, hoc discit?

Discit autem quis τὸ βραδὺ ταχὺ, id est, quod est tardè, celeriter. Nam fieri potest, vt quis celeriter discat quercum, quæ tardè perficitur.

Ergo aliquis tardè & celeriter discit.

In conclusione huius captionis infertur non *quod* discit aliquis, sicut in pręmissis, sed *quo modo* discit: vnde *Quid* mutatur in *Quale* sivè *in modum quendam*. Item:

Num quod quis, perambulat, id pedibus calcat?

Perambulat autem totum diem.

Ergo totum diem pedibus calcat.

In hac captione fit trãsitus à Pręedicamẽto Substãtiæ

 ad Quan-

Quando. Nam, *Quod*, denotat Substantiam: *totũ diem*, denotat Quando. In hac verò captione,

Quicquid bibisti, id habes in ventre:
Calicem, sivè cyathum bibisti:
Ergo calicem habes in ventre,

Quid, sivè *Substantia* mutatur in *Vbi* sivè *ex quo*. Nam cum dicimus, *calicem bibit*, non ostendimus *quid* bibit quis, sed *ex quo*. Est etiam ex hoc genere & ista captio:

Nonné quod quis novit, inveniens vel discens, hoc est, per inventionem propriam, aut doctrinam ab alio traditam novit?
At hæc duo, quorum vnum invenit, alterum ab alio didicit, quis novit.
Ergo hæc duo simul inveniens, vel discens novit.

Hoc est quod Arist. in contextu ait: *An hic omne accipitur, ibi vero non omne.*

In hac captione *numerus singularis* mutatur *in pluralem*. Nam in Maiori singularis, in Minori & conclusione pluralis intelligitur. Huc pertinet illa captio, qua probatur esse tertium hominem, præter ipsum hominem in communi, & singulos homines. Sumit Sophista

Te scire aliquem hominem ambulare:

Atqui neque scis hominem vniversalem ambulare: quia homo vniversalis non ambulat: Neque scis Socratem vel Platonem ambulare, quia supponimus te ignorare quis ambulat: puta quia è longinquo eum aspicis, vt dignoscere non possis. Nescis ergo hominem vniversalem ambulare, item nescis quemvis singularem hominem ambulare, scis tamen hominem ambulare. Est igitur aliquis homo tertius, id est, distinctus ab vniversali & singularibus. Hoc Sophisma solvitur, quia sumit vniversalem hominem, quasi hoc aliquid per se existens extra singularia, quemadmodum Plato posuit Idæam hominis: & ita sumit hunc hominem non ambulare, quoniam Idææ à Platonicis ponuntur

im-

immobiles: sed secundum Arist. homo vniversalis non est præter singulares, proinde nec potest esse tertius homo præter vniversalem & singulares. Quare homo & reliquæ substantiæ vniversales non significant hoc aliquid sed Qualitatẽ quandam essentialem. Neque vllum vniversale significat hoc aliquid, sed Qualitatẽ aut Quantitatem aut Relationem, &c.

Quomodo illud probas?

Exemplo Corisci & Corisci musici. Sicut enim Coriscus musicus non est hoc aliquid distinctum à Corisco, sed est vnum & idem individuum abstractum à musica vel consideratum cum musica: ita homo non est hoc aliquid separatum à singulis hominibus, vt putavit Plato constituens Idæas. Quare non licet hoc * exponere, neq; verò expositio tertium hominem facit: sed illa cõcessio, *id quod est commune, esse id ipsum, quod hoc aliquid:* Id est, illa absurditas, quòd ponatur *tertius homo* seiunctus à specie & individuis, non ex eo efficitur, quòd homo exponitur, hoc est, ponitur seu profertur homo vniversalis, sed ex eo, quòd hic homo vniversalis conceditur esse hoc aliquid distinctum à singularibus: sic enim fit, vt hoc vniversale, quod fateris hoc aliquid, sit verè & propriè homo, non tamen sit id, quod Callias, vel aliquis ex singularibus hominibus. Nec si quis dicat, id quod exponitur significare hoc aliquid essentiale, sed id ipsum quale, hoc est, hoc aliquid accidentale. Nam vtrovis modo dicas, semper facis hominem vniversalem esse hoc aliquid distinctum à singularibus. Quare constat non esse concedendum, hoc aliquid, quod vniversale est, sed potiùs vel Quantum, vel Quale, vel Relativum, vel huius generis aliud quidpiam significare.

* *Exponere* significat hic *expromere*, seu *in medium*, & *exempli causa proponere*: vt sæpe etiam accipiebatur lib. 1. Prior.

Estné aliquis generalis modus solvendi captiones, quæ intra dictionem *consistunt?*

Est: Nam oppositum sivè cõtrarium ei, ex quo ducitur captio, est harum solutio. Verbi gratia: si ex Compositione sumatur captio, solutio erit per Divisionẽ: sin ex Divisione oriatur, solutio erit per Coniunctionẽ. Rursus: si ex Accentu acuto sumatur captio, gravis accentus erit solutio: sin ex gravi, acutus. Pari ratione, si ex Homonymia orta sit captio, ita dissolvetur, si oppositũ sivè contrarium illius nominis, quod concludit sophista, ponat Respondens: hoc est, Respondens dicet sophistam concludere aliquod Homonymum in contrario, sivè in alio sensu, quàm ipse concesserit: vt si sophista concludat *inanimatum*: Respondens dicet se cõcessisse *animatum*: et è contrà, si cõcludat *animatum*, dicat Respondens se intellexisse *de inanimato*. Eadem est ratio soluendi captiones Amphiboliæ. Nam si sophista sumat propositionem in vno sensu, dicat Respondens se intellexisse in alio sensu. Deniq; si captio oriatur ex similitudine sivè Figura dictionis, oppositum erit solutio. Veluti ad illam captionem:

Veluti si negaveris canẽ esse animatum, & sophista probaverit hoc modo: omne animal est animatum: Canis est animal: Ergo Canis est animatus: tu respõde: imo canis sydus non est Animatus. Pacius.

Nonnè dare potest quispiam, quod non habet?

Dicendum est, non dare quidem eum *quod non habet*, *sed alio modo* quàm habet: nempe quia non habet vnum solum talum. Ad istam quoque

Num, quod quis novit, inveniens aut discens novit?

Respondendum est, verum quidem esse *quod* novit, horum altero modo id nosse, sed non *quæ* novit. Item ad istam

Num, quod quis perambulat, id pedibus calcat?

Respondendum est, *quod* quis perambulat, id pedibus eum calcare, sed non *quando*, sivè tempus, quo perambulat. Similiter & in aliis captionibus est faciendum.

SCHO-

SCHOLIA IN CAP. 3.

a *EX hoc loco notandum est duos esse vera solutionis species: vna fit negatione falsa propositionis: altera distinctione Multiplicis: quod prouenit aut ratione vocum, vt in Fallacijs* intra dictionem: *aut ratione rerum, veluti in Fallacijs* extra dictionem.

Obiectio.

Responderi solet nonnumquam concedendo. Ergo non solum negando & distinguendo.

Solutio.

Aliud est ad argumentationem respondere: *aliud est* argumentationem soluere: *Respondere possumus (vt vulgò dici solet) negando, distinguendo, concedendo: negãdo falsa, distinguendo multiplicia, concedendo vera: sed soluimus tantum negando & distinguendo. Ergo non est aliquis modus soluendi per concessionem: quia concessio est respectu alicuius veri: sed concessio veri non est manifestatio sivè patefactio falsi syllogismi: ideò per concessionem non fit vera et recta solutio. Et hinc constat, quod licet concessio sit species Responsionis: non tamen est species Solutionis. Responsio enim latiùs patet, quàm Solutio.*

Aliud est Respõsio, aliud est Solutio.

Obiectio.

Fit solutio argumenti per interpretationem. Ergo non tantum per negationem & distinctionem.

Solutio

Solutio.

Solutio, quæ fit per interpretationē, est solutio ꝑ distinctionē. Nam quicunq; aliquam propositionem interpretatur, eo ipso, quāvis hoc occultè & implicitè fiat, distinguit. Concedit enim eam veram esse secundum vnam interpretationem: falsam verò secundum aliam interpretationem.

Omnis Responsio vel est	1 Simplex, *quæ fit*	1 *Concedendo.* 2 *Negando.*
	2 *Mixta, quæ fit distinguēdo, partim*	1 *Concedendo.* 2 *Negando.*

b *Syllogismus peccans in Materia aliquando habet veram conclusionem: aliquando falsam: si veram habeat conclusionem, tum vel vnam præmissam falsam habet: vt:*

Omnis homo est animal.
Omnis equus est homo.
Ergo omnis equus est animal:

Vel ambas habet falsas: vt:

Omnis arbor est animal.
Omnis equus est arbor.
Ergo omnis equus est animal.

Sin falsam habeat conclusionem, tum itidem vel constat ex vna præmissa falsa: Vt:

Omnis homo est risibilis.
Omnis equus est homo.
Ergo omnis equus est risibilis:

Vel ex duabus falsis constat præmissis, Vt:

Omnis

Omnis arbor est risibilis,
Omnis equus est arbor.
Ergo omnis equus est risibilis.

c *Cum duæ sint partes syllogismi: Forma & Materia: primò Respondens debet Formam examinare, an scil: in Modo & Figura concludatur. Secundo in loco debet Materiam ipsius considerare, nẽpè vtrum propositiones sint veræ an falsæ. Hinc vt duplex est syllogismi compositio: ita duplex est eiusdem resolutio: vna in Formam: altera in Materiam: illa* prior, *hæc* posterior *resolutio appellatur: De quarum vtráq, copiose egit Arist. De illa in lib. Analytic. Prior. De hac in lib. Poster. Vide quæ scripsi in Prolegomenis de inscriptione Analyticorum Posteriorum.*

d *Difficilius multò est argumentationem sophisticam soluere, dum cum altero ratiocinamur, quàm dum eandem taciti apud nos expendimus: quòd hic meditationi locus relinquitur: ibi verò subitò & derepentè res sit explicanda.*

Obiectio.

e *Omnis paralogismus, qui habet Homonymiam vel Amphiboliam in conclusione, eandem etiam habet in præmissis, quia nihil est in conclusione, quod non fuit in præmissis. Ergo malè Arist. ait quosdam habere eandem in præmissis, quosdam verò in conclusione.*

Solutio.

Sensus illius distinctionis Arist. hic est: quòd quidã Paralogismi

paralogismi habent Homonymiam vel Amphiboliam tantum in præmissis, & non in conclusione: vt ij, qui Medium terminum habẽt ambiguum: quidam verò habent Homonymiam vel Amphiboliã etiam in Conclusione, vt ij, qui Maiorem vel Minorem extremitatem habẽt multiplicem, sed præcipuè Minorem: vndè in huiusmodi paralogismis non animadvertitur ambiguitas, antequàm inferatur conclusio. Ergo quod dixit de Conclusione, noluit esse negandum de altera præmissa.

f Nota hîc conclusionem τὸ τέλος, id est, finem argumentationis ab Arist. appellari, quia in postremo loco subiungitur.

g Hoc loco duplex, τὸ δίττον, propriè sumitur pro eo, quod actu & reverà tale est, non quod potentiâ & phantasiâ est duplex. Hoc enim in reliquis Fallacijs intra dictionẽ reperitur. Non ergo simpliciter negat philosophus Duplex esse in Fallacijs Compositionis & Divisionis, sed negat Duplex sivè Multiplex actuale in ijs reperiri: vnde hîc nonnullos veterum reprehendit, qui asserebant Paralogismos Compositionis & Divisionis soluendas esse ex distinctione Multiplicis actualis, quia hoc in Homonymia & in Amphibolia tantum reperitur.

Huius sophismatis mentionem facit Arist. 2. Rhet. cap. 24.

h Ægidius componit Paralogismum hoc modo: Quotiescũq; vidisti tu existentes in Piręo triremes in Sicilia existens, es in Sicilia.

Sed

Sed nunc vidisti tu existentes in Piræo
triremes in Sicilia existens.
Ergo es in Sicilia. Sed positũ est te esse in
Piræo. Ergo simul eris hîc & ibi.

Dicit Ægidius hunc Paralogismũ peccare ꝑ Cõpositionẽ, *quoniam illa oratio* vidisti nunc existentes in Piræo triremes in Sicilia existẽs, *est multiplex, quia potest intelligi, quod* tu nunc existẽs in Sicilia videas triremes in Piręo existẽtes; *vel,* quod tu nunc existẽs in Piręo, videas triremes existentes in Sicilia. *Alexander autem ex hac oratione non vult Paralogismum conficiendum, sed esse exemplum sumptum ab ipso Euthydemo. Oratio enim illa Euthydemi est multiplex, quoniam aliud significat navibus à Piræo divisis, et aliud cõpositis navibus cũ Piræo. Divisis enim significat, quod* in Piræo existens nunc vidisti naves in Sicilia existẽtes: *Cõpositis autẽ significat, quod* in Piræo naves existẽtes tu existens in Sicilia nunc vidisti. *Est autem Piræus portus Atheniensium, qui autore Strabone, quadraginta stadijs ab vrbe distat. Alij verò orationẽ illam dicunt multiplicem esse, quatenus ipsum* Nunc *potest coniungi cum verbo* vidisti, *& sic falsa est: aut potest coniungi cum* existẽtes in Piræo, *& sic est vera: quia tu vidisti naves existentes nũc in Piræo, vtputa cũ erant in Sicilia. Circa hoc exemplũ dicit etiã Alexander hoc exẽplũ Euthydemi esse conclusionem sophismatis, ꝙ secũdum*

Niphus.

Vide Plutarchum in vita Themistoclis

Compositionem conficitur, cuius collectio hæc est:

Vtrum tu nunc in Piræo es?
Vtrum vidisti in Sicilia naves existentes?
Vtrum ergo vidisti tu nunc existens in in Piræo naves in Sicilia existentes?

Est enim secundum Compositionem *Sophisma. Non enim in Piræo sunt nunc, et si videris, quòd in Sicilia sint naves, necesse erit te esse in Sicilia in Piræo existentē; & naves in Sicilia existētes in Piræo esse. Intulit ergo Euthydemus existentem in Piræo nunc eundem esse in Sicilia, & naves nunc existētes in Sicilia, easdem in Piræo esse. Non multum interest, quam expositionem sequamur, modo duplicem sensum illius interrogationis assequamur. Ut hoc sophisma intelligatur supponēdum est (inquit Pacius) cùm Athenienses miserunt triremes in Siciliam, fuisse ibi aliquem, qui triremes in Sicilia vidit: posteà triremes reductæ sunt Athenas, atq; in Pyræo constitutæ: et ille quoq; ex Sicilia rediit Athenas. Hunc igitur Euthydemus sic interrogat:*

Num vidisti tu nunc stantes in Pyræo triremes in Sicilia existens?

Hæc interrogatio propter compositionem & divisionem duobus modis capi potest: Et altero modo est vera, altero falsa. Nam si particula, Nunc, *iungatur cum verbo,* Stantes, *& seiungatur à verbo,* Vidisti,

Vidisti, *oratio vera erit hoc sensu,*

Te, cum esses in Sicilia, vidisse triremes, quæ nunc sunt in Piræo.

Contrà, si adverbium, Nunc, *iungatur cum verbo* Vidisti, *sensus falsus efficietur, nempè*

Te, cum sis in Sicilia, videre naves positas in Piræo:

Quod est impossibile. Hac Pacius.

ANALYSIS

CAP. 4.

ARGUMENTUM.

IN capite precedenti ostendit philosophus quomodo soluuntur Paralogismi, qui ducuntur ex Fallaciis *intra dictionem*: in hoc capite ostendit quomodo soluantur Paralogismi, qui ex *Accidente* ducuntur. Vbi tres etiam veterum solutiones reprehendit.

Quomodo soluuntur Captiones, quæ ex Accidente *ducũtur?*

Omnes captiones *Accidentis* vnam & eandem habẽt solutionem. Nam conclusioni demum occurrendum est, atq; dicendum est, non esse necessarium, vt illud quod Rei sivè subiecto conveniat, etiam Accidenti ipsi conveniat, quamvis convenire videatur. In quo videndum est, vt paratam nos semper habeamus apertè captiosam ex hoc genere conclusionem, cui similem esse dicamus, quam adfert adversarius. Sunt autem

ex

Pacius sic colligit: *scis quod interrogaturus sum? minime. At interrogaturus sum an virtus sit bona. Ergo non scis an virtus sit bona.*
Vel: *Nostine hunc, qui venit, aut hunc qui celatus est? non novi: sed hic Socrates est. Ergo non nosti Socratẽ.*

ex *Accidente* omnes, quæ sequuntur,[a] captiones.

Tu nosti virtutem esse bonam?
Hoc autẽ est, quod te sum interrogaturus:
Ergo tu nosti, quod te sum interrogaturus.

Quamvis *virtutem esse bonam*, et *id quod ego te sum interrogaturus* sint idem subiecto: tamen non idem sunt quoad naturam & essentiam, quare non sequitur, si vnum noveris, alterum etiam te nosce. Item:

Coriscus est veniens.
Tu nosti Coriscum.
Ergo tu nosti eum venientem:

Item:

Coriscus est absconsus.
Tu nosti Coriscum.
Ergo tu nosti absconsum.

Corisco accidunt hæc, *venire*, & *absconsum esse*: item *notum esse*, et *non esse notum*.

Item:

Hæc statua est tua.
Hæc statua est opus.
Ergo est opus tuum.

Item:

Hic canis est tuus.
Hic canis est pater.
Ergo est pater tuus.

Licet *statua* & *tuum* idem sint subiecto, tamen comparata ad hoc, quod est *opus*, non sunt idem: quia statua est possessio tua, sed est opus Polycleti, vel alterius opificis: pari ratione, accidit *Cani* vt sit *pater*, et vt sit *tuus*.

Item.

Num pauca paucis vicibus accepta, pauca sunt?
Sed duo sunt pauca.
Ergo duo paucis vicibus, hoc est, bis accepta, nempe quatuor,

quatuor sunt pauca: et per cōsequēs quatèr accepta, id est, sedecem pauca sunt: et ita deinceps in infinitum.

Perspicuum est in iis omnibus non esse necesse, vt eadem, quæ *accidentibus* conveniunt, *rebus subiectis* attribuantur: quia in iis solis, quæ naturâ & assentiâ non differunt, sed vnum quippiam sunt, id vsuvenit, vt quę vni attribuuntur, eadem alteri omnia conveniant. Iam autem non idem est *virtutem esse bonam*, et, *id quod te sum interrogaturus*: neq; idem valet *venientem*, aut *absconsum esse*: atq; *esse Coriscum*. Itaque non rectè concluditur,

Coriscum novi,
Venientem non novi,
Ergo eundem novi, et non novi,

Saltem sub eadem ratione. Neq: hęc conclusio rectè infertur,

Hæc Statua est opus,
Hæc Statua est mea,
Ergo est meum opus,

Sed concludendum est, *meam esse hanc possessionem*, aut rem, aut aliquid quippiam huiusmodi. Eodem modo & in aliis se res habet,

Quomodo Antiqui has captiones solvebant?

Antiqui tres solutiones harum captionum tradidēre: quarum prima hæc est: Quidam dissoluunt distinguēdo postremam interrogationem, hoc est, conclusionē. Aiunt enim fieri posse, vt eadem res sciatur & ignoretur ab aliquo, non tamen secundum idem: Exempli causa in ista captione,

Coriscum novi,
Venientem non novi,
Ergo eundem novi, et non novi,

Distinguunt conclusionem: et dicunt quòd quis po-

test eandem nosse & non nosse, sed non eâdē ratione Eum igitur, qui venit, seu venientē fatentur se nō nosse: Coriscum autem se nosse aiunt: vnde conclusionē illā concedunt, sed non eâdem ratione. Nam dicunt se eū nosse, quâ est Coriscus: non nosse, qua veniens est, seu quòd veniat.

Estné hæc vera & recta solutio?

Non est: quod hac ratione fiet manifestum: omnis vera & recta solutio captionū alicuius Fallaciæ adhiberi potest omnibus captionibus eiusdem Fallaciæ, vt antè dictū est c.2. Sed hęc solutio nō potest adhiberi omnibus captionibus huius Fallaciæ *Accidentis*. Ergo non est vera & recta solutio. Minor prob. quia hæc solutio non potest adhiberi alicui captioni huius Fallaciæ, nisi illi tantum, in quo verbum *nosse* sivè huic æquipollens collocatur. Nam si ex verbo *Esse* aut *Modo quodam affectum esse* idem axioma sivè pronunciatum illud cōstaret, non habet locum illa solutio. Exempli causa: in hac captione

Hic canis est pater.
Hic canis est tuus.
Ergo est tuus pater:

Quid (quæso) loci habere potest illa solutio? vt enim in quibusdam id verum sit, fieri posse vt, *eandem rem tu scias & nescias*: at certè hæc captio nihil habet cum illâ commune.

Obiectio.

Hæc Antiquorum solutio est vitij in syllogismo patefactio. Ergo est vera & recta. Argumentum prob. ex definitione rectæ solutionis suprà tradita cap. 3.

Solutio.

Argumentum non sequitur. Procedit enim â parte definitionis rectæ solutionis. Nam cùm nihil vetet eandem captionem pluribus vitiis laborare, & ex diversis locis

locis Sophisticis oriri, non quælibet patefactio vitii est eiusdem captionis solutio, nisi etiam addat causam, cur tali vitio laboret. Hoc enim positum fuit in definitione rectæ solutionis. Fieri enim potest, vt quis ostendat falsum esse id, quod concluditur, non tamen causam reddat, nec locum, ex quo oriatur illud falsum, assignet. Qualiter evenire potest in argumentatione Zenonis, qua *nihil posse moveri ostendere* conabatur. Quapropter, si quis Respondens argumentari conetur, vt id absurdum & impossibile doceat, quod alius conclusit, [b] ipse peccabit, & absurdè faciet, tametsi decies millies concludat: quia hoc non est solutio, præsertim cū recta solutio (vt antè dictum est c. 3.) sit patefactio falsi syllogismi ostendens causam cur falsus sit. Si igitur opponens nihil concludit, hoc est, syllogismum non conficit, huius rei declaratio facta à Respondente, nempè quod rem concluserit, solutio est, idque dico sivè verum sivè falsum conetur argumento colligere.

Si Respōdens ostenderit opponentem syllogismum in Modo & Figura non concludere, veram solutionem adhibet. Hoc in loco nonnulli secundam orationem colligūt, qua probatur illam Antiquorū solutionem nō esse rectam.

Nonné hæc ergo Antiquorum solutio est recta?

Nequaquam. Nam quamvis quibusdam captionibus huius generis adhiberi possit, sicut antè dictum est, tamē in iis certè, ad quas modo adhibetur, vix locum habere posse videtur. Nam illa responsio, qua dicitur *posse quem nosse & non nosse eundem, non tamen secundum idem*, non potest adhiberi illi paralogismo,

Coriscum novit,
Venientem non novit,
Ergo eundem novit & non novit,

Non potest (inquam) adhiberi huic paralogismo: quia in *Corisco* & *Veniente* non habet locum. Nam novit Coriscum esse Coriscum, & novit venientē esse venientē.

In quibus ergo locum habet?

In his, de quibus dicuntur diversa prædicata: Nam potest quis esse Coriscum nosse album, sed non nosse esse musicum: in his ergo & huiusmodi illud locum habet, nempè quod quis aliquid noscat & non noscat, nō tamen secundum idem. Hic verò vtrumq; novit, & *Coriscum*, quod sit Coriscus, et, *venientem* quod veniat: quare hæc solutio ne huic captioni adhiberi potest.

Quæ est secunda solutio Antiquorum?

2 Secunda solutio hæc est: Nonnulli soluunt huiusmodi captiones non distinguendo, vt præcedentes, sed concedendo. Concedunt enim omnem numerum et multum sive rarò paucum esse paucum: sed hi non minùs peccant quàm illi. Non enim ostendunt hanc rationem nihil concludere: sed hoc prætermisso, ad id se conferunt, vt veram esse conclusionem dicant. Omnem enim numerū multum & paucum esse magno suo errore fatentur: cum reverà hoc falsum sit.

Quæ est tertia solutio Antiquorum?

3 Tertia hæc est: Quidam has captiones ex duplicitate, hoc est, Multiplici actuali oriri putant, quale est in Homonymia & Amphibolia, vnde eas distinguendo solvebant: Exempli causa in his captionibus:

Iste est tuus:
Et est pater:
Ergo est pater tuus.

Item.

Iste est tuus:
Et est filius:
Ergo est filius tuus.

Item.

Iste

Iste est tuus:
Et est seruus:
Ergo est seruus tuus:

Distinguebant has voces *pater tuus, filius tuus*, et *seruus tuus*. Nam vel significant hæc esse possessionem tuã: vel patrem, filium, aut seruum tuum.

Nonnè hæc eorum solutio est recta?

Non est. Quia nullum omninò Multiplex actuale in his captionibus reperitur. Nam in quacunq; captione reperitur Multiplex actuale, necesse est, vt aut nomen aliquod, aut oratio sit multiplex, & plura propriè significet (Tale enim Multiplex asserebant veteres in his reperiri) sed in his captionibus neque nomen, neque oratio est multiplex. Ergo &c. Maior patet: quia omnis multiplicitas est aut in nomine aut in oratione. Minor prob. hoc exemplo:

Iste est filius:
Et est huius:
Ergo est huius filius.

In hac captione *huius filius* propriè plura non significat. Nam propriè non significat quod sit filius domini, sed patris: sic & seruus non propriè dicitur patris, sed domini seruus. Ergo hæc coniunctio *huius filius* non contingit ratione Homonymiæ aut Amphiboliæ, sed potiùs Accidentis: sicut & in hac captione,

Nonnè hic est tuus?
Hic autem est filius:
Ergo est tuus filius:

Quoniam accidit, vt hic sit & tuus, & filius: non tamen tuus filius, sed alterius. Huic similis est captio, qua concluditur aliquod bonum esse τῶν κακῶν, id est, malorum. Vt:

Prudentia est scientia malorum.
Prudentia est bonum.

Ergo bonum est malorum.

Hæc captio, non magis, quàm illa præcedens, oritur ex multiplici. Nam *Hoc esse horum* sivè *aliquid esse aliquorū*, vt *prudentia seu bonum est malorum*, non dicitur multitariam: sed propriè possessionem significat: aut si fortè multifariam dicatur (Dicimus enim hominem esse τῶν ζώων, id est, animalium, non tamen significat esse eorū possessionem, sed esse de numero animalium, hoc est, esse animal) nil tamen ad ipsam captionem pertinet: sed potiùs ad Fallaciam *Ex dicto secundum quid ad dictum simpliciter*. Etenim si ita aliquid ad mala affectum sit, vt illa affectio in Genitivo casu exprimatur, dicetur quidem illud cum aliqua adiectione, & secundum quid esse τῶν κακῶν: omninò autem & simpliciter non dicetur esse τῶν κακῶν: vnde efficitur, vt huiusmodi captio,

Bonum (vt prudentia) est τῶν κακῶν scientia,

Ergo bonum est τῶν κακῶν,

Ad Fallaciam *Ex dicto secundum quid ad dictum simpliciter* referatur, & non ad Fallaciā ex aliquo Multiplici. Quanquam illud fortasse possit accidere, vt illa oratio: *Bonum est τῶν κακῶν*, bifariam accipiatur, non tamen in hac argumentatione, de qua iam dictum est: sed potiùs in illa:

Estne aliquod * *mancipium bonum praui domini?*

Ergo bonum est malorum.

* Id est, servus qui in bello capitur.

Quanquàm fortasse nec in hac quidem argumentatione sit aliquod multiplex. Neq; enim si separatum verum sit, *Hoc esse bonum*: idq; esse illius rectè coniunctim efficietur, *Hoc esse bonum illius*. Quare ne illa quidem oratio: *Homo est τῶν κακῶν*, multifariam accipitur.

Quomodo illud probas?

Hac ratione: nulla oratio truncata & imperfecta, in qua

qua aliquid supprimitur aut taceтur, est multiplex: sed oratio, *Homo est τῶν κυνῶν*, est truncata & imperfecta. Nā significat hominem esse vel possessionem τῶν κυνῶν sive aliquod aliud: vel esse de numero τῶν κυνῶν. Ergo non est multiplex. Maior probatur hoc exemplo: Hæc oratio,

Μῆνιν ἄειδε θεὰ,

Quamvis sit imperfecta: tamen nullam omninò multiplicitatem in se continet: quia significat primā Homeri Iliadem. Possum enim rectè ac sine vlla multiplicitate iubere, vt mihi hanc Iliadem quis det, si pronunciato dimidio versu, ita dixerim, *da mihi μῆνιν ἄειδε θεὰ*.

Id est, iram cane Dea: Sic enim incipit prima Ilias Homeri. cur hoc opus dicatur *Ilias* dixi in lib. 2. Demonst. c. 7.

SCHOLIA IN CAP. 4.

a NOtat Niphus in his paralogismis non esse vnum peccatum duntaxat, sed plura. Omnes enim vltra Fallaciam Accidentis *peccant contra* ignorationem Elenchi, *quoniam peccant contra rationem syllogismi, cum nullus servet syllogisticam Formam: Aristoteles tamen docet eos soluere, quantum ad peccatum illud, quod est secundum Fallaciam* Accidentis. *Hoc enim nunc ad suum institutum spectat.*

b *Sumitur ex hoc loco peruulgatū illud axioma:* Multiplicare inconveniens, & contrà argumentari non est argumentationem soluere: *quia vera & recta solutio est patefactio falsi syllo-*

gismi ostendens causam cur falsus sit: quod non fit contrà argmentando. Hoc enim est clavum clavo pellere.

C *Ægidius dicit omnes hos modos soluendi respexisse ad conclusionem. Nam primi soluebant conclusionem negando: secundi concedendo: vltimo distinguendo. Alexander verò hos vltimos modos putat respexisse ad propositiones siuè præmissas. Ego priorē expositionem sequutus sum.*

ANALYSIS

CAP. 5.

ARGVMENTVM.

IN hoc capite Arist. percurrit paralogismos reliquarum sex fallaciarum *extra dictionem*: & ostendit quomodo dissoluuntur.

Quomodo soluuntur captiones, quæ ex dicto secundum quid ad dictū simpliciter, *et è contrà, ducuntur?*

Omnes captiones huius Fallaciæ, sive in iis sumatur Dictum propriè, simpliciter & absolutè, siue Dictum secundum quid, aut ratione partis, loci, modi, aut deniq; collationis vel comparationis vno & eodem modo soluuntur, nempè si diligenter perpendamus conclusionē huiusmodi captionum, num contradictio horum aliquod vitium habeat: hoc est, soluuntur huiusmodi captiones, si oppositum sive contradictorium conclusionis illatæ

illatæ in veritate cum præmissis possit consentire. Nam fieri nequit, vt contraria, et opposita, et affirmantia et negātia, hoc est, contradictoria omninò ac simpliciter de eadem re affirmentur, vel eidem insint: sed nihil vetat vtrumq; contrarium secundum quid affirmari vel inesse, nempè quadā ex parte, aut ratione cuiusdā cōparationis cum altero. Item nihil vetat vnum quidem contrarium secundum quid, alterum autē omninò ac simpliciter affirmari vel inesse. Quare si alterum simpliciter dicatur, alterum ex parte, nōdum est Elenchus aut contradictio. Hoc autem in cōclusione ad contradictionem collata nobis spectandum est. Ad hoc genus captionum omnes pertinent, quæ sequuntur: si quis interroget: *Fieriné potest, vt q̃ non est, sit, vel quod est, non sit*: siquis neget, sophista sic ratiocinatur:

Quicquid est in opinione, illud ipsum est.
At quod non est omninò, est in opinione.
Ergo quod non est omninò, illud ipsum est.

Item:

Quod non est lapis, non est.
At aliquod, quod est, non est lapis
Ergo aliquod, quod est, non est.

Vel sic: Quod nō est homo, nec bos nec aliquid eorū, quæ sunt, nō est: sed ens nō est homo, nec bos, nec aliquid eorū, quæ sunt. Ergo ens nō est.

Item, si quis interroget: *Fieriné potest, vt idem simul benè sivè sanctè iuret, et peieret?* et Respondens neget: sic eum aggreditur sophista, supponendo quod aliquis iuret se peierare, et peieret:

* *Quicunq; adimplet iuramētum, sanctè iurat,*
At aliquis peierando adimplet iuramentum.
Ergo hic peierando sanctè iurat: vndè simul sanctè iurat, et peierat, sivè non benè iurat.

Item:

*Coriscus * credit Socrati.*
*At non * credit ei falsum dicenti.*
Ergo credit et non credit ei.

* Suadet.
* Nō suadet.

In

In duabus primis captionibus non est vera contradictio. Nam, vt vera fiat contradictio, necesse est, vt termini sint iidem & eandem rem significent, sed *non esse aliquid*, et nō *esse simpliciter* non sunt idem: quo fit, vt malè efficiatur, si res aliqua, quæ sit, est hoc vel illud, omninò illam ac simpliciter esse: aut si res aliqua, quę sit, non est hoc aut illud, omninò illam ac simpliciter non esse: Pari ratione in tertia captione non est contradictio. Nam *benè & sanctè iurare hanc rem, vel ex parte*, non est benè & sanctè iurare simpliciter & absolutè. Qui enim se peieratum iuravit, & peieret, is benè fortassis, quod ad hoc pertinet, & hac modò ex parte iuravit; omninò autem & simpliciter non benè. Idē dicendum est de quarta captione. Nam qui alteri falsum dicenti non credit, non ideò omninò ac simpliciter illi non credit: nec qui simpliciter alicui credit, statim illi mentienti credit. Similis etiam est illa captio, quâ simul aliquem falsò dicere sivè mentiri, & verū dicere ostenditur, hoc modo:

[b] *Quicunque dicit, vt est, dicit verum.*

At qui dicit falsum, dicendo se dicere falsum, dicit vt est.

Ergo qui dicit falsum, dicit verum:

Alexander sic colligit: quicunq; dicit oculum esse album, mentitur & verum dicit. Simul enim est albus & non albus: At hic dicit oculum esse album. Ergo hic mentitur & verū dicit. Alii sic colligunt: Ego dico falsum, & dico homi·

Sed difficilis est fortassis huius captionis solutio: quia difficilè est statuere, vtrum illud, *simpliciter*, aptandum sit ad *veracem esse*, an ad *mendacem esse*: sed nihil incommodi est, si dicamus eundē hominem simpliciter quidem mentiri: quadamtenus verò & ex parte verū dicere: aut esse vera quædam, vera autem simpliciter nō esse. Similiter se res habet in iis captionibus huius Fallaciæ, quæ ducuntur ex comparatione, vel ex ratione loci cuiusdā, aut temporis. Nam ex hac eâdē causa omnes huiusmodi proficiscuntur. Primò ex comparatione ducitur hæc captio:

Sanitas & divitiæ bona sunt,

At

At non sunt bona imprudentibus, et malè vtétibus.

Ergo sunt bona & non sunt bona.

Item ex loco & tēpore.

Benè valere, et in civitate potentem esse, bonum est.

At aliquando hoc non est bonum.

Ergo idem est bonum & non bonum.

Soluuntur hæ captiones, quia procedunt *à dicto secundum quid ad dictum simpliciter*: vnde in iis non est contradictio. Nil enim prohebet, quod simpliciter est bonum, huic autem aut illi non esse bonum: vel huic quidem esse bonum, non tamen hoc tempore, aut non hoc loco. Similes sunt & captiones, quæ sequuntur,

Quod non vult prudens est malum.

Sed bonum perdere non vult prudens.

Ergo bonum est malum.

Conclusio malè infertur: Nam sic inferri debet. *Ergo perdere bonum est malum.* Huic similis est captio, quæ de fure fieri solet,

Qui vult capere malum, vult malum.

fur est malum.

Ergo qui vult capere furem, vult malum.

Hæc captio procedit *à dicto secundum quid ad dictum simpliciter.* Non enim sequitur,

Vult malum capere:

Ergo vult malum:

Quippe bonum potiùs vult, quia bonum est furem capere. Item hæc ratio non sequitur:

Vult malum (nempè morbum) amittere.

Ergo vult malum.

Nam quamvis morbus sit malum: tamē eo liberari nō est malum. Item si sophista interroget,

Numquid iustum est optabilius quàm iniustum, et iustè

nem esse equum: at hoc dicendo dico verum. Ergo simul dico falsum & verum.

iuste quàm iniuste?

Et Respondés cõcesserit, sic eum aggreditur sophista:

Iniustè mori est optabilius, quàm iustè mori.

Ergo iniustum est optabilius, quàm iustum, et iniustè quàm iustè.

In hac captione proceditur *à Dicto secundum quid ad dictum simpliciter.* Item.

Habere sua semper est iustum.

Sed habere sua secundum legem aliquando est iniustum, vt cum Iudex falsum indicat.

Ergo est iustum & non iustum.

Habere sua iustum est simpliciter: sed habere sua falso iudicio adiudicata iustum est ex parte, & non simpliciter. Item.

Iniusta dicentem iustum est condemnare.

Sed iustum hominem iniuria affectum cõtingit iniusta dicere.

Ergo iustum hominem iustum est condemnare: sed hoc est iniustum. Ergo iustum est iniustum.

Si iudex res tuas alteri per imperitiã adiudicaverit, iustum est te res tuas habere, & non est iustum te habere contra sententiam Iudicis, cui Ius Civile stari vult. Ergo alium habere res tuas non est iustũ simpliciter, sed iustum limitate. id est, secundũ sententiam Iudicis. Pacius.

Quod ad primum ex his tribus paralogismis attinet, dicendum est illum colligi *ex dicto secundũ quid ad dictũ simpliciter.* Non enim si quid pati iniustè optabile est, ideò iniustũ est optabilius quàm iustum, nec iniuste est optabilius quam iustè: sed simpliciter iustum est optabilius: nihil tamen vetat iniustum, quod ad hoc vel illud attinet, optabilius esse quàm iustum. Eodẽ modo dicendum est de secundo paralogismo, Nam sua quẽcunq; habere iustum est, aliena verò habere iniustum, et tamẽ iudiciũ hoc iustum esse nihil prohibet, nimirum, quia ex sententia iudicavit, et vt æquissimũ esse existimavit, ita iudicavit: Neq; enim oportet, si quid, quod ad hanc quidem rem attinet, aut hoc modo iustum est, omninò ac simpliciter esse iustum. Idem etiã dicendum est de tertio paralogismo. Nam cum sint aliqua per se iniusta, fieri tamen potest, vt illa recitare,

et

et in iudicio dicere iustum sit. Non enim si iustum est ea dicere, necesse est ea esse iusta, sicut non est necesse id esse vtile, cuius narratio vtilis est: quod idem de rebus iustis sentiendum est, Itaq; non, si ea, quæ dicuntur, iniusta sint, propterea qui dicit iniusta, vincit. Ea namq; dicit, quæ dictu sunt iusta, simpliciter autem et ad ferendum, iniusta: vnde non sequitur.

Qui iusta dicit in iudicio, vincere debet.

Ergo qui dicta iusta dicit in iudicio, vincere debet.

Aliud enim est *iustum*: aliud est *iustum dictū*. Nam illud est iustum simpliciter, hoc verò iustum secundum quid.

---

3 *De solutione captionum ex ig*noratione Elenchi.

Quomodo soluuntur captiones, quæ ex ignoratione Elenchi *ducuntur?*

CAptiones huius Fallaciæ soluuntur, si diligenter examinemus conclusionem, ostendendo in ea nō esse verā contradictionē, etiāsi videatur: quod effectū dederimus, si ostendamus eā non esse *ad idem*, *secundum idem, eodem modo*, et *eodem tempore*. Vna enim ex his particulis, quæ in postrema parte definitionis Elenchi collocantur, in paralogismis huius Fallaciæ semper omittitur, aut ignoratur. Neq; solum in conclusione his captionibus occurrendum est, sed etiam statim à principio, quoties captionis vis in interrogatione sivè præmissa posita est: vt siquis interroget:

Num idem potest esse duplum & non duplum?

Non est neganda hæc interrogatio, sed concedenda, ita tamē, vt Elenchus indè non fiat. Dicendum enim est vnum idemq; duplū esse & non duplū: non eâdem tamen ratione. Vt duo sunt duplum respectu

vnius

nius: sed non sunt duplum respectu trium. Hæ captiones ex *ignoratione Elenchi ducuntur:*

Num, qui vnūquodq́, novit esse vnumquodq́, rem ipsam simpliciter novit?
Sed fieri potest, vt quispiam esse Coriscum noverit, sed non noverit eum esse musicum,
Ergo eandem rem novit & non novit.

Rursus:

Nonné illud, quod quatuor cubitorum magnitudinem habet, est maius eo, quod trium cubitorum tātum magnitudinem habet?
Sed fieri potest, vt idem longitudinem quatuor cubitorum, latitudinem autem trium duntaxat cubitorum habeat.
Ergo idem erit maius & non maius seipso.

In his duobus paralogismis omittitur particula *secundum idem.*

4 De solutione captionum, quæ ex petitione principii ducuntur.

Quomodo soluuntur captiones, quæ ducuntur ex petitione principii?

1 Hæ captiones his duobus modis soluuntur. Primò si Respondens perspiciat Opponentem tales interrogationes seu pręmissas accipere, in quibus *petitio principii* ponitur sivè idem interrogat, quod in initio quæsitum fuit: tum statim iis occurrere debet, nec eas vllo modo admittere: ne quidem, si illæ sint probabiles, aut veræ: vnde has confestim reiiciet, nec patietur Opponentem eas proponere.

2 Secundò si Respondens [d] non perspiciat à principio tales interrogationes à sophista proponi, sed confectâ à conclusi-

conclusione, idem interrogari videat, tum ignorantiam illius in adversarium interrogantē propter huiusmodi argumentationum vitium reiiciet, dicens eum nihil confecisse, nec benè disputasse, quia principium petierit. Debet enim, vt sit Elenchus, abesse *petitio principii.* Deindè verò dicet Respondens se illa admisisse, non vt iis adversarius contra se vteretur, sed vt adversus illa disputaret, quasi argumentando probaturus contrarium, quàm in parex elenchis fecerit.

5 De solutione captionum
Consequentis.

Quomodo soluuntur captiones Consequentis?

CAptiones, huius Fallaciæ soluuntur, si ostendatur eas in ipsa argumentatione, nempè in consequētia vitium continere: hoc est, si Consequentia ipsius argumenti negetur: & dicatur Consequens & Antecedens non reciprocari, sed consequens latius patere, quam Antecedens.

Quottuplex est consequentia?

•Duplex: vna, in qua vniversale sivè superius concluditur de suo particulari sivè inferiori: quorum illud vt Consequens, hoc verò vt Antecedens se habet: vt:

Homo est.
Ergo animal est.

Altera, quæ fit per oppositiones contradictorias: vt:

Omnis homo est animal.
Ergo omne non animal est non homo.

Quomodo in his duabus consequutionibus soluendæ sunt captiones?

In priori genere dicendum est nobis, eo adversarium peccare, quia postulat, vt hoc cum illo iunctum est, etiam

tiam illud cum hoc esse connexum: id est, quia velit, si ex Antecedente inferatur Consequens, etiam ex consequente inferri Antecedens: vt:

Si homo est, animal est.
Ergo si animal est, homo est.

In posteriori autem dicendum est eum peccare, quia, velit, si ex hoc Antecedente illud Consequens! effi. ciatur, ex opposito Antecedentis omninò ac semper confici oppositum Consequentis. Cuius generis est argumentatio Melissi,

Quod genitum est, habet principium.
Ergo quod non est genitum, non habet principiū.

Quod quidem argumentum procedit ab opposito Antecedentis ad oppositum Consequentis: vndè non valet: putabat tamen Melissus illud firmū esse: vnde progressus est vlterius: hoc modo:

Cælum (id est, Mundus sivè vniversum) est ingenitum.
Ergo non habet principium: vnde non habebit finem: quare infinitum est.

Aqui non ita se res habet, quandoquidem à contradictoriis inverso ordine valet argumentum. Ergo sic potius concludere debuerat Melissus:

Quod genitum est, habet principium.
Ergo quod non habet principium, non est genitum.

---

6 De solutione captionum, *quæ ex non causa vt causa* ducuntur.

Quomodo soluuntur captiones, quæ ducuntur ex non causa vt causa?

Hæ captiones soluuntur, si Respondens primò ostenderit, quod demptâ & sublatâ aliquâ præmissâ, nihilominus

nihilominus concludatur impossibile sivè absurdū, cuius causa non erat illa præmissa: itaq; conclusioni occurrendum est. Secundò hoc patefacere Respondens 2
ac dicere debet, cōcessisse se omnes prēmissas, etiā eā, quæ non est conclusionis causa, nō q veras esse putaret omnes, aut ad conclusionē spectare, sed vt videret, quid tandē ad rem facerent, iam autē omninò ad rem nihil pertinere, quæ opponens sumpserat.

---

7 De solutione captionum, quæ ex pluribus interrogationibus oriuntur.

Quomodo soluuntur captiones, quæ ex pluribus interrogationibus, vt vnâ, fiunt?

CAptionibus, quę *ex pluribus interrogationibus vt vnâ fiunt, iam* inde à principio, antequam inferatur conclusio, occurrendum est, dicendo plures esse interrogationes, quæ proponuntur vt vna: vndè eas statim concedere, aut negare non oportet, sed ostendere q plures sunt: ideò, distinctione adhibita, plures responsiones adhiberi oportet. Nam interrogatio vna est, ad quam una adhibetur responsio. Quare nec plura de vno, nec vnum de pluribus, sed vnum de vno vel affirmandum vel negandum est.

Num fieri potest, vt vna responsio pluribus interrogationibus adhiberi possit, interim vt Respondens hoc ipso Elencho non redarguatur?

Maximè. Nā sicut se habet in Homonymis: ita, quantū ad hoc attinet, et in pluribus interrogationibus: sed in Homonymis hoc licet. Ergo & in pluribus interrogationib⁹. Maior patet: quia interrogationes homonymiæ plures in se continent. Minor prob. quia in Homonymis interdū accidit, ut vtrâq;, interdū vt neutrâ significatione verū sit, quod interrogatur: eoque accidit, vt, qui vnā & simplicē dedit responsionē, licet in-

terrogatio non sit vna, nulllo indè possit Elencho redargui nec vllo vrgeri in-commodo. Quare eodem modo cum plura de vno, vel vnum de pluribus affirmantur vel negantur, qui vnam ad ea accommodat responsionem, Elencho non redarguitur, quamvis in eo tamen vitio non careat.

Potest quis ad plures interrogationes vnam responsionem adhibere sine Elencho, sed non sine vitio: vnde quã vis non redarguatur Elencho, tamẽ in hoc nõ caret vitio.

Video si plures interrogationes aut veræ sunt, aut falsæ, ad eas vnam responsionem posse adhiberi, idq; sine Elencho: sed quando ad plures interrogationes non est adhibenda vna tantum responsio?

Vna responsio tum non est adhibenda, cum in vno sensu vera est interrogatio, in altero falsa est: & quando plura de pluribus ita enunciantur, vt vno quidem modo vtraq; vtrisq; conveniant, alio modo non conveniant. Tum enim maximè cavendum est, ne vnicam adhibeamus responsionem. Exempli causa: siquis duobus acceptis, quorum vnum est bonum, alterũ est malum, interroget,

Nonné hæc vno modo sunt bona & mala? et altero néque bona néque mala?

Si Respondens simpliciter concesserit vel negaverit: tunc incidet in absurdum. Nam non vtraq; attributa vtrisq; subiectis cõveniũt. Ergo idem est bonũ ac malum: et neque bonum neque malum. Item:

An res quæq; secum est eadem, & ab alijs diversa?

Fallacia hic est: quia accipiũtur quasi vnum, quæ sunt duo. Dicũtur enim eadem cum seipsis: quia autum est idem cum seipso, et plũbum est idem

Si simpliciter respondeatur, tum sumptis duobus diversis, in hunc modum fiet captio:

Hæc ad se comparata, non ad alia, sunt eadem.
Hæc eadem ad se comparata sunt diversa.
Ergo eædem res à se invicem diversæ sunt, et eædem tamen.

Rursus si demonstrato vno malo, quod fit ex bono: & & vno bono, quod fit ex malo, & interroget opponens,

Fiuntné hæc bona an mala?

Si concesserit Respondens, tum infert Sophista.

Ergo

Ergo duo fiunt, vnum vel ambo bonum vel ambo malum.

Quare dicendum erat, vnum fieri bonum: alterum fieri malum. Simili ratione acceptis duobus inter se inęqualibus, quorum vtrumque sibi æquale est, si quis interroget,

Suntné hæc ambo æqualia?

Quomodocunque respondeatur, capietur Respondés. Nam si affirmet, inferet sophista ex suppositione,

Ergo eadem sunt æqualia & inæqualia?

Si neget, sophista sic colligit:

Ergo vnumquodq; non est æquale sibi.

Num hæ captiones alio modo solui possunt?

Maximè: præsertim secunda & quarta. Nam possunt ad Fallaciam Homonymiæ pertinere. Nam verbum *Ambo* in quarta interrogatione, & verbum *omnia* siuè *Quæq;* in secunda plures significationes[b] habet: vnde fit, vt non idem affirmetur & negetur nisi nomine tenus, quem verum Elenchum esse negamus: siquidem Elenchus est contradictio vnius & eiusdē non nominis solum, sed & rei, vt suprà dictum est lib. I. ca. 4. Cæterum illud perspicuum est, nisi plures interrogationes pro vnâ sumantur, sed vnum de vno affirmetur vel negetur, non fore impossibile vel incommodum, si vna responsio adhibeatur.

cum seipso. Rursus dicũtur diversa, quia aurum a plumbo differt, nō aurum a semetipso, nec plumbum a semetipso. Pacius.

SCHOLIA IN CAP. 5.

a VT rectè quis iuret, non satis est veritatem astruere: oportet & iustè fieri idipsum, et non fallendi animo: ita tres condiciones sancti iuramenti Theologi ponunt: veritatem, iusticiam, &

 indi-

iudicium. Consule Petrum Lombardum lib. 3. sentent: distinct. 39.

Lib. 4. Academic.

b *Stoici hoc genus argutiarum inexpugnabile dicebant: de quo Cicero sic scribit: Hæc scil. inexpugnabilia esse dicitis quod est odiosius, quàm illa, quæ nos incomprehensa, & non percepta dicimus. Et ibidem: Hæc Chrysippæa sunt, nec ab ipso quidem dissoluta &c. Aristoteles tamen non inexpugnabilia eiusmodi esse ait; sed ad solvendū paulò difficiliora. Huic simile est illud:*

Mathisius.

Alberius.

Cretenses sunt mendaces.
Epimenides, qui hoc dixit, fuit Cretensis,
Ergo mendax fuit, qui dixerit eos esse mendaces.

Cuius sophismatis solutio hæc est. Epimenides quidem, quia erat Cretensis, potuit fortassis dici simpliciter mendax: sed πῆ, id est, quadam ex parte, verbi gratiâ, ratione huius sententiæ potuit esse verax; imo fuit verax: sicut Apostolus testatur Epistolâ ad Tit. c. 1. his verbis:

Cres semper mendax, mala bestia, vēter obesus.

Κρῆτες ἀεὶ ψεῦσται, κακὰ θηρία, γαστέρες ἀργαί.
id est,
Cretenses semper mēdaces, malæ bestiæ, ventres pigri.

c *Sic Apostolus Petrus Epist. 1. c. 4. Nemo autem vestrum (inquit) patiatur vt homicida, aut fur, aut facinorosus, aut curiosus alienarum rerum. Porrò si vt Christianus affligitur aliquis, ne pudefiat, imò glorificet Deum in hac parte: quandoquidem & tem-*

tempus est, vt incipiat iudicium à domo Dei, &c.

d *Si Respondens non animadvertat principium peti antequam inferatur conclusio, dicere debet, non se concessisse illud, vt opponens ex eo concluderet, sed vt concluderet contra ipsum. Sic enim evadet Elenchum: nec hoc est absurdum. Nam disputandi causâ potest quis concedere id, quod non putat verum esse, vt non concludatur ex eo, sed vt concludatur contra illud. Niphus.*

e *Priorem consequentiam appellant directam, & affirmativam, in qua proceditur à positione Antecedentis ad positionem Consequentis: posteriorem verò vocant inversam & negativam, in qua disputatur à destructione Consequentis ad destructionem Antecedētis. Sophista ergo in his duabus peccat: in priori, cum disputat à destructione Antecedentis ad destructionem Consequentis: vt:*

Non est homo.

Ergo non est animal.

In posteriori, cum argumentatur à positione Consequentis ad positionem Antecedentis. Vt:

Est animal.

Ergo est homo.

De vtraq; hac Consecutione plura vide Apud Arist. lib. 2. Topic. c. 3.

ANALYSIS

CAP. 6.

ARGVMENTVM.

HIc Aristoteles ostendit quomodo soluantur captiones, quæ ad *Nugationem* & *Solæcismum* ducunt adversarium: vnde duæ sunt principales partes huius capitis.

Quomodo soluuntur captiones, quibus sophista nititur ducere Respondentem ad [a] Nugationem?

Cum huiusmodi captiones duobus modis oriantur, vt suprà dictum est lib.1.c.13. Primò ex Relativis: Secundò ex quibusdã Accidentibus: illæ captiones quæ oriuntur ex Relativis, soluuntur, si non concedat Respondens illam propositionem, quam sophista sibi cõcedi postulat: Hoc est, si non concedat Relatorũ Categorias siuè Relativa ipsa separata, et per se sumpta liquid præter se significare. Exempli causa: si *Duplum* per se sumatur & seorsim ab hac oratione, *Duplum Dimidij* non est concedendum illud quicquam præter se significare: neque idem significare, quod in illa oratione significat, quamvis in ea collocetur: quod hac similitudine perspicuum erit. Nam sicut vox, *Decem*, ponitur in hac oratione, *vno minus decem*, nec decem tamen illa oratione significantur, sed novem: Itemque verbũ *facere* ponitur in illa oratione, *Non facere*, et [b] in omni negatione ponitur affirmatio: neque tamen verum est eum, qui dicit, *hoc non esse album*, dicere, *ipsum esse album*. Simili ratione hoc verbum *duplum* per se & seor-

seorsim sumptum fortassis [e] nihil significat, sicut nec *Dimidium*, quod in eo intelligitur, aliquid significat: aut siquid significat, non tamen idem significat seorsim & per se sumptum, et in oratione coniunctum: sicut nec *scientia* in specie sumpta, veluti *Scientia Medica*, id ipsum significat, quod *scientia* in communi sivè in genere. Nam *scientia* in communi est Relativum, et ad *Scibile*, tanquam ad suum correlativum, refertur: cum in specie non sit Relativum.

Quomodo soluuntur captiones, quæ ad Nugationē ducere videntur Respondentem ex parte Accidentium, quæ per subiecta definiuntur? 2

Hæ etiam captiones soluuntur per negationem falsæ illius suppositionis, quæ supponit Accidens per se & seorsim sumptum idem significare, quod in oratione cōiunctum cum suo subiecto significat. Exempli causa: [d] *Curvum*, si communiter ac per se sumatur, idem significat in *Simo* & *varo*: coniunctum autem subiecto, nēpè *Naso* & *Cruri*, nil prohibet aliud atque aliud significare. Nam si coniungatur cum *Naso*, veluti si dicatur, *Curvus nasus*, significat *simum*: sin verò coniungatur cum *crure*: vt, *curvum crus*, non *simum*, sed *varum* significat.

Estné adhuc alia solutio harum captionum, quæ ex Accidentibus desumutur, præter eam, quàm iam tradidisti?

Est. Nam solvuntur hæ captiones, si Respondens non permittat, vt sophista in recto seu Nominativo casu, subiectum horum accipiat in eorum definitione: quandoquidem illo modo falsa fiet oratio, neque verū est, si in recto definiat hoc modo: *simum est nasus curvus*: sed in obliquo definire debet, hoc pacto: *simum est nasi quædam affectio.* Quocirca nil absurdum sequitur, si in alio casu, quam in recto verbum illud *Nasus* reperatur,

 dicen-

dicendo, * *Nasus simus est nasus habens curvitatem nasi.*

De solutione captionum Solœcismi.

Quomodo solvuntur captiones, quæ Respondentem ducunt ad Solœcismum?

Quod ad has attinet, vndè illæ ducuntur, suprà exposuimus lib. 1. cap. 13. Quomodo autē soluendæ sunt, ex ipsis paralogismis satis apparebit. Ad Solœcismum pertinent hæ, quæ sequuntur, captiones.

Nonnè, quod verè dicis, hoc reverà est?
Sed aliquid dicis esse lapidem.
Ergo aliquid est lapidem.

In hac captione non est similis acceptio terminorum in Maiori & in Conclusione: quia in conclusione sumitur *lapidem* in Accusativo casu, cum in Maiori sumeretur in Nominatiuo, saltem virtute. Nam potestate includitur in articulo *Hoc*, qui est casus Nominativi: prætereà in Conclusione sumitur in Masculino genere: in Maiori verò in Neutro: siquidem articulus *Hoc*, sub quo comprehenditur, est Neutrius generis. Vnde tum ex parte generis, tum ex parte casus committitur Solœcismus: qui quidem etiamsi non apparet, antequā Conclusio inferatur, in initio apparuisset, si in eodem casu hoc modo Sophista interrogasset:

Nonné, quod verè dicis, est hunc?

Hanc enim interrogationem statim vt vitiosam & incongruam reiecisset Respondens, nec permisisset cōclusionem inferri: Hîc enim apparet opponentē non latinè loqui, sicut nec si hoc modo interrogasset,

Nonné, quam tu dicis esse, est hic?

Si verò, cū in Maiori articulus, *Hoc*, in Neutro genere accipiatur, Respondens inferat in Conclusione *lignū*, aut alia quævis nomina, quæ nec Masculina, nec Fœmina sunt, sed Neutra, non fiet Solœcismus. Vt:

Τὸ ἑλληνίζειν Interpres Latinus latine; hæc transferens ad suam linguam rectè Græcum verbum accommodat, maxime cum eadē sit, quod ad

Nonne

Nonne, quod tu dicis esse, est hoc?
Lignum autem dicis esse.
Ergo lignum est.

Sed *lapis*, *et* articulus *Hic*, Masculinorum habent inflexionem. At verò si quis interroget:

Nonné hic est hæc?
Nonné Coriscus est hic?
Ergo hic est hæc:

[f]Non collegit syllogismo Solœcismum: ne si Coriscus quidem reverà idem significet id, quod est hæc, aut quod est Fœminini generis, illud aut é ita esse non admiserit Respondens. Nam vt aliquid tandem conficiatur, illud prius interrogatum oportuit. Quod si neq; ita est, neq; ita esse concedat Respondens, non est syllogismus, nec reverà, nec adversus Respondentem, qui interrogatur. Simili igitur ratione & in illa captione oportet illud verbum *lapidem* significare *Hic*, id est Nominativum casum, & Masculinum genus: vndè sic concludendum erat.

Ergo aliquid est lapis.

Quod si non ita sit, nec ita concesserit Respondens, non est admittenda conclusio: videtur tamen admittenda ex eo, quod, qui sunt reipsâ dissimiles nominis casus, similes tamen esse videntur. Aliud exemplum hoc est:

Nonné verè dicitur, quod hæc est id, quod tu dicis hanc esse?
At tu dicis parmam esse.
Est igitur hæc parmam.

In hoc paralogismo nihil omninò cōfectum est. Nam, *Hæc*, nō *parmam* in Accusativo casu sibi iungit, sed *parma* in Nominativo: hanc autem parmam in Accusativo, In hac etiam captione simile vitium est:

hanc rem attinet, in vtraq; lingua constructionis ratio. Boetius legit Romane loqui. Mathil.

Parma est scuti sive clypei quoddam genus, quod Græcè *ἀσπὶς* hoc in loco dicitur.

Nonné, quod ais esse hunc, est hic?
Ais autem esse Cleonem.
Ergo hic est Cleonem:

Cleon nomen est ducis Atheniensis, qui adversus Lacedæmonios & Thraces bella gessit: de hoc sit mentio lib. 1. prior. cap. 15.

Neque enim articulus *Hic* sibi iungit *Cleonem* in Accusativo casu: quia in prima interrogatione, nempè in Maiori dictum est: *Quem dicis esse, est hic, non hunc*: Neq; enim qui hoc modo dixisset, Latinè fuisset locutus. Aliud exemplum:

Nonne tu scis illud?
Est autem illud lapis.
Ergo tu scis lapis:

In hac captione pronomen *illud* non eodē modo sumitur in Maiori, *Nonné tu scis illud?* Et in Minori: Est *illud lapis.* Nam illîc est Accusativi: hîc est Nominativi casus. Item:

Nonné, cuius habes scientiam, hoc scis?
Habes autem scientiam lapidis.
Ergo scis lapidis:

In hoc paralogismo articulus *Hoc* demonstrat in Accusativo: *Huius* autem lapidis in genitivo: at concessum est, cuius habes scientiam, hoc te scire in Accusativo, non huius in genitivo: quare concludendum fuit: *Ergo scis lapidem, non lapidis*. Quod autem huiusmodi captionibus non cōcludatur Solœcismus, sed videatur tantum concludi, et quomodo sit ipsis occurrendum, ex iis, quæ dicta sunt, intelligi potest.

SCHOLIA IN CAP. 6.

a *Solutiones earum captionum, quæ ad secundum & tertium sophistarum scopum, nempè*

nempè Falsum & Inopinabile *referuntur, omisit Aristoteles: vel quia vt (inquit Niphus) continentur in Paralogismis* Redargutionis: *vel quia fortassis non est in his tanta difficultas quanta est in reliquis. Nam secundum & tertium sophistarum scopum nullo negotio infringemus; si respondeamus Falsũ & Inopinabile illud, ad quod sophista nos adducere conatur, non consequi ex Thesi nostra, quam tueri nobis propositum fuit. Item tertium scopum sophistarum infringemus, si, vbi sophista laudaverit sententiam vulgò tritam, nos contrà ad tacitũ hominum iudicium provocemus: et contrà, vbi tacitum hominum iudicium laudaverit, nos contrà ad sententias vulgò tritas provocemus. Sic enim faciemus quiddam simile ei, quod in Eunucho Parasitus suadet militi:* ubi nominabit Prędriam, tu Pamphilam continuò: si quando illa dicit, Phædriam comessatum intromittamus, tu, Pamphilam cantatum, provocemus: si laudabit hæc illius formam, tu huius cõtrà: deniq; par pari referto, quod eam mordeat.

Obiectio.

b *In quacunq; oratione est affirmatio, ea oratio est affirmãs: sed in negante oratione est affirmatio, vt hîc ait Arist. Ergo negans oratio est affirmans.*

Solutio,

In quacunq; oratione est affirmatio non limitata, ea

ea oratio est affirmās: in oratione verò negante affirmatio est limitata & restricta per negationem.

c Duplum dicitur nihil significare (vt aliqui volunt) quia nullum ens absolutum significat: sed Aristoteles non negat simpliciter Duplum aliquid significare: sed aut nihil significare, aut non illud, quod in oratione significat.

Curvū quid. d Curvum τὸ κοιλὸν Græcè dicitur id, quod indifferētur τὸ σιμὸν, hoc est, simū, καὶ τὸ ῥαιβὸν, hoc est, varū seu obliquū sub se cōplectitur. curvū in quavis materia intelligi potest: Simū autem & varū certam materiam obtinent. Nam hoc de crure: illud de naribus propriè dicitur. Mathisius.

Obiectio.

e In hac definitione est Nugatio: cum dicitur, quod Nasus simus est nasus habens curvitatem nasi. Nam verbū nasus bis in ea sumitur. Ergo mala est definitio.

Solutio.

Niphus. Respondet Alexander, quod non bis Nasus in hac definitione accipiatur. Nam ponendum est (vt inquit) comma ad illud verbum nasus est. Non enim nasus, qui ibi ponitur, est pars definitionis, sed est interrogatum. Definitio enim est: habens curvitatem nasi. Quando enim interrogamur de aliquo, simul accipimus & illud, non vt definitionis partem, sed vt interrogatum: vt interrogati, quid est homo? dicimus, homo? est animal rationale, vbi homo nō accipitur vt pars definiti-

definitionis, sed ut interrogatum: sic cùm dicimus, quid est nasus simus? *dicimus, nasus, scil. simus est, qui habet curvitatem nasi: per quæ patet solutio ad sophismata. Nam differt dicere*, simũ, *&* simum nasi curvitatem: *quoniã in* simo *per se dicto non exprimitur* nasus *tamquam proprium significatum: in hac oratione*, simum est nasi curvitas, nasus *exprimitur: quare licet idem bis intelligatur, non tamen bis significatur, nec expresse bis dicitur: et sic cessat Nugatio. Ex his notat Niphus Nugationem esse bifariam: aut quando idem bis ut principale significatum, dicitur: ut, ensis, spatha est gladius incisivus. Nam bis significatur ferrum illud, quod est ensis: semel per nomẽ* ensis, *et semel per nomen* spatha: *Aut quãdo bis idem exprimeretur: ut si diceretur:* Nasus simus est nasus habens curvitatem nasi: *Hæc enim est Nugatio, si* nasus *in recto secundo loco positus esset pars definitionis. In illa enim definitione semel poneretur in recto, et semel in obliquo, et utrumq; expresse, ubi autem intelligeretur, non esset Nugatio.* 1 2

f *Aliud est* Solœcismum esse in oratione: *aliud est* syllogismo concludere solœcismum sive (*ut loquuntur*) syllogizare Solœcismum. *Qui enim in conclusione, vel in propositione, vel in quacunq; oratione discordat in genere,*

Solœcis-

Solœcismum dicit: non tamen syllogizat Solœcismum. Nam syllogizare, sivè syllogismo conficere Solœcismum, est quando in propositionibus acciperentur aliqui termini sub vno genere, et in conclusione sub alio: aut in propositione sub vno casu, et in conclusione sub alio.

ANALYSIS
CAP. 7.
ARGVMENTVM.

CVm philosophus in primo cap: huius libri quatuor tractanda sibi proposuerit eorumque tria hactenus tractaverit: ad illud quartum (quod illic tamen in tertio loco ponitur) nempè, *quid sit solutione dignum*, tractandum & explicandum accedit: ostendit ergo in hoc cap. qui paralogismi solutione digni sunt. Cum itaque paralogismi sint in duplici differentia: quidam enim sunt faciles & abstrusi, et horum alii acuti, alii acutiores, alii acutissimi: ostēdit difficiles dignas esse solutione, cum inter faciles illos quidam adeò ridiculi & fatui sint, vt nullam solutionem omninò mereantur.

Num omnes captiones sophisticæ sunt eiusdem generis?

Nequaquam. Nam sunt in duplici differentia: quædam

dam ſunt captiones,in quibus facile ſit cauſam captionis perſpicere,propter quam auditorem & Reſpondentem decipiant:quædam verò,in quibus difficile ſit perſpicere,quænam ſit deceptionis cauſa.

In quibus locum[c] habet hæc captionum differentia?

Locum habet non ſolum in iis, quæ diverſæ ſunt, ſed etiam in iis,quæ ſunt eædem:hoc eſt, non ſolum in iis,quę ex diverſis locis ſophiſticis ſeu Fallaciis,ſed etiam in iis,quæ ex eodem loco oriuntur. Nam eædem captiones dicuntur,quæ ex eodem loco ſophiſtico ducuntur. Ac eadem quidem captio aliis ex *dictione*, aliis ex *Accidente*, aliis *ex alio loco* duci videtur. id quod propterea fit,quia,vt quæquè res variè commutatur, & transfertur: ita non æquè ſemper ſolet eſſe perſpicua.

Ergo ex eodem loco ſophiſtico captiones interdum faciles, interdum difficiles oriuntur.

Maximè. Nã ſicut ſe habet in captionibus Homonymię,qui quidẽ locus eſt frequentiſſimus,ex quo captiones ducuntur ita & ſe habet in reliquarum Fallaciarum captionibus: ſed ex Homonymiæ Fallacia & faciles & difficiles oriuntur captiones. Ergo & ex reliquis & faciles & difficiles oriuntur captiones.

Recenſe quaſdam faciles captiones.

Inter faciles captiones ferè omnes orationes ridiculæ & leves annumerari poſſunt: quales hæ ſunt:

[a] *Qui ferebat per ſcalas*[b] δίφρον, *ferebat currum.*

Sed vir (nempè auriga) ferebat per ſcalas δίφρον.

Ergo auriga ferebat currum.

Concluſio

Conclusio est falsa. Nam currus aurigam potiùs ferebat, non auriga currum. Respondendum est, δίφρον vel currum significare: et sic sumitur in Maiori: vel scamnum seu sedile: Et sic in Minori accipitur: Item:

Ὅποι στέλλεσθε? Ad Antennam.

Vbi verbum, στέλλεσθε, vel significat, *quò velum contrahitis?* vel: *quo tenditis?* in priori sensu rectè respódetur, *Ad antennam*: in posteriori non rectè sic Respondetur.

Itē, si demonstratis duobus bobus sivè iuvencis, quæ parituræ sunt, quis interroget,

Vtra boum ante pariet?

Et Respondens concesserit vnam earum ante alterā parituram, sic sophista eum aggreditur:

Quod retrò pariet, non antè pariet.
Vtraq; boum retrò pariet.
Ergo neutra ante pariet.

Respondendum est per distinctionem. Nam *Ante*, vel significat tempus seu ordinem temporis: vt: illa bos *ante* dicitur parere, quæ priori tempore parit, et sic conclusio est falsa: vel significat situm & ordinem partium, nempè partem corporis anteriorem, et sic conclusio vera est: quia in bobus locus pariendi est posterior pars, non anterior. Ergo ad illam interrogationem, *vtra boum ante pariet?* Respondetur quòd neutra, si, *ante*, partem corporis anteriorem significat, si vero tempus denotat, respondetur, quod hæc, vel illa antè pariet. Item si quis interroget:

Boreas est ventus septentrionalis seu Aquilonaris: dicitur ἀπὸ τοῦ βοᾶν, καὶ ῥεῖν, quia vt violenti flatus est, ita etiam sonori. Vide A. Gellium lib. 2. c. 22.

Estnè Boreas καθαρός, id est, purus?

Respondendum est, quod καθαρός sivè *purus* sumitur vel pro eo, quod nubes dissoluit & aerem purgat: et sic est καθαρός: vel pro eo, quod non nocet: et sic nō est καθαρός: quia homines interficit: Paralogismus sic cōficitur.

Quicquid interficit menditum & mercatorem,

non

non est καθαρὸν, id est, purum.

Sed Boreas interficit mendicum & mercatorem.

Ergo Boreas non est καθαρὸς, id est, purus.

καθαρὸν in Maiori sumitur pro eo, quod non nocet: in Conclusione pro eo, quod nubes dispellit & aerē purgat. Item:

[a] Qui benè praeest, est ille, qui ad nos venit.

Sed εὔαρχος benè praeest.

Ergo εὔαρχος est ille, qui ad nos venit.

Conclusio falsa est. Nam Apollonides, non Evarchus est ille, qui ad nos venit. Dicendū quod εὔαρχος vel significat eum, qui benè principatū gubernat, et sic sumitur in Minori: vel eū significat, q̄ hoc nomine proprio, nēpè *Evarchus* appellatur. Eodem modo ex aliis huiusmodi faciles oriuntur captiones.

Suntné etiam perdifficiles captiones, quae oriūtur ex Homonymia, et caeteris Fallaciis, quae in dictione *consistunt?*

Maximè: eaeque tales, vt vel doctissimos lateant, necnon eosdem impediant. Id quod eo argumento intelligi potest, q̄ inter se saepè de nominum significationibus dissentire docti homines conspiciuntur: veluti: vtrum *Ens & vnum* eâdem significatione de omnibus dicantur, an diversâ. Quibusdam enim videtur *Ens & vnum* nullam in se continere ambiguitatē, sed eodem modo semper accipi. Alii verò ex eo dissoluunt Zenonis & Parmenidis * argumentationē, quod *Ens & vnū* multipliciter dicuntur. Et sicut faciles & difficiles captiones oriuntur ex *Homonymia* & Fallaciis, quę *in dictione* consistunt: ita etiam ex *Accidente* et reliquis Fallaciis, quae *in rebus* sitae sunt, vtriusque generis captiones deducuntur: atque nosse ex quo genere sit quaeq;, et vtrum Elenchus, an non Elenchus sit, non est in omnibus aequè facile & manifestum.

* Vide Arist. lib. 1. Physic.

Cum

Cum captiones sint faciles, & etiam difficiles, quæ alio nomine appellantur difficiles?

Difficiles appellantur acutæ Argumentationes.

Quid est acuta argumentatio?

Acuta argumentatio est, quæ dubitare maximè facit Respõdentem: hæc enim maximè mordet.

Quottuplex est dubitatio?

1 Duplex: vna est in argumentationibus syllogisticè cõcludentibus, id est, in iis, quæ peccant in Materia, cum quis dubitat vtra interrogationum sivè præmissarum sit tollenda sivè neganda: Altera est in Argumentatio-
2 nibus litigiosis, id est, in iis, quæ peccãt in Forma, cum quis dubitat, quómodo id, quod propositum est, dissolvat.

Num argumentationes syllogisticæ eodem modo dubitationem afferunt?

Nequaquam. Nam quò quæq; sunt acutiores, eò maiorem afferunt dubitationem.

Quottuplex est acutissima Argumentatio syllogisticâ?

1 Duplex: vna, quæ ex iis, quæ sunt maximè probabilia, aliquid aut probat aut refellit quod est maximè probabile. Nam cum vna sit disputatio sivè ratiocinatio, transposita contradictione, hoc est, accepto disparato conclusionis cum altera præmissarum, similes omnes syllogismos habebit, & semper, quod volet, concludet: quia semper ex probabilibus æquè probabile refellet, aut adstruet Sophista: ideoq; necesse, est, vt Respondens maximè dubitet: vnde huiusmodi argumentatio est maximè acuta, quæ conclusionem [c] interrogatis parem facit, id est, quæ pariter à conclusione & à præmissis adfert dubitationem. Altera, quæ ex omnibus
2 sumptionibus sivè præmissis similibus constat, Hæc enim ab vtrisque præmissis æqualem relinquit, vtra neganda sit, dubitationem. Cum enim altera sit negan-

Veluti: *Medea est mater. Ergo diligit filios.* Rursus: *Medea non diligit filios. Ergo non est mater.*

neganda, vtra tandem ea sit, non est facile discernere.

Quottuplex est acutissima argumentatio in litigiosis disputationibus?

Duplex: vna, in qua non statim apparet Respondenti an sophista concluserit in Modo & Figura, necne: Et vtrum per id quod falsum est negatum, an per distinctionem: hoc est, utrum negando falsam aliquam præmissam, an distinguendo aliquod multiplex dissolvatur. Secundò acutissima est, quam constat solvendam esse per distinctionem, vel per negationem, sed nō apparet per cuius interrogati sivè præmissæ negationem, aut distinctionem sit solvenda: imò vtrum hæc negatio, vel distinctio ad conclusionē, an ad aliquod interrogatum sivè præmissam sit accommodanda. 1 2

Quottuplex est prætereà argumentatio non concludens sivè litigiosa?

Duplex: vna fatua: altera non aspernanda:

Quid est fatua argumentatio litigiosa?

Fatua argumētatio est, cum sumptiones sunt valdè incredibiles aut fallæ. Cum enim deest talis aliqua interrogatio seu præmissa [f] de qua, et per quam disputatio est, syllogismus est fatuus, qui hanc non sumpsit, neque conclusit. 1

Quid est argumentatio non aspernanda?

Argumentatio non aspernāda dicitur, [g] cum deest interrogatio seu præmissa, quæ extrinsecùs ad rē valet: Tum enim argumentatio bona est, sed interrogans non benè interrogavit. 2

Quot modis potest quis interrogare seu opponere?

Tribus modis. Nam sicut tribus modis solutio adhiberi aut conferri potest; aut enim ad ipsam argumentationem cōfertur, aut ad interrogantē, nō ad interrogationem, aut ad neutrum horum, sed ad tempus: sic tribus

 modis

modis potest quis interrogare & concludere: aut adversus thesim siue conclusionem à Respondente
1
propositam, quam defensurus est: aut adversus Responden-
2
tem, qui eam thesim defendit; aut ratione temporis:
3
quod tertium tum evenit, cum plus temporis desideratur ad refutandam solutionem, quam dedit adversarius, quàm patitur spacium temporis, quod ad disputandum concessum est.

SCHOLIA IN CAP. 7.

a *Græcè sic legitur:* ἀνὴρ ἐφέρετο κατὰ κλίμακος δίφρον: *ex qua oratione non omnes eodem modo captionem conficiunt. Ægidius (vt refert Niphus) non* κλίμακος *per o parvum, sed* κλιμάκως *per ω legi putat. Sic enim in codicibus Græcis, ex quibus textus suus translatus est, legebatur: quam opinionem amplectitur Niphus. Hoc mihi (inquit) consonum est, Nam antiquus translator transtulit* gradatim, *et* δίφρον sedens. *Sic enim legit,* vir ferebatur gradatim sedens. *Unde Homonymiam in verbo* κλιμάκως *inesse existimat. Nam si* κλιμάκως *significet* regionatim, *falsa est oratio: quia falsum est, virum sedentem regionatim ferri: at si* κλιμάκως *significet* per clima, *oratio potest esse vera: quia vir sedens fertur per clima. Hæc expositio Aristotelem non sapit. Præterea* δίφρον *non omninò* Sedens *exponitur.*

Latini interpretes dicunt *gradatim* designare & *gradiendo*, et *per gradum*: in priori sensu falsa est oratio: in posteriori vera.

Alex-

Alexander varijs modis hoc sophisma intelligi asserit: per Figuram dictiones, per Amphiboliam, et per Compositionem. Quia vir, *qui est Masculini generis, interpretatur per genus Neutrum. Vt:*

Nonné vir per scalam ferebatur?
Nonné δίφρον per scalam ferebatur?
Ergo vir per scalam ferebatur δίφρον.

Hic enim est Paralogismus Figura dictionis. Est enim cõclusionis sensus: vir, δίφρον existens, per scalam ferebatur. Vbi patet Masculinum per Neutrum exponi. Potest etiam sophisma esse secundum Amphiboliam, quatenus illud verbum ἐφέρετο potest legi actiuè & passiuè: si activè legatur, sensus hic est:

Vir ferebat humeris per scalam δίφρον, id est, currum, vel sellam, vel sedem:

Sin autem passiuè legatur, sensus hic erit:

Vir δίφρον, id est, currus existens, ferebatur per scalam.

Potest etiam (inquit) esse per Compositionem: vt si virum contigerit ad primam horam diei ferri per scalam, δίφρον verò, id est, currum ad quartam: et tunc sophisma sic interrogabitur;

Nonné vir ferebatur per scalam?
Nonné δίφρον ferebatur per scalam?
Ergo vir per scalam ferebatur δίφρον.

Oportebat enim sic cõcludere: vir igitur & δίφρος, id est, currus per scalam ferebantur: et hoc verum est. Dicit etiam Alexander inveniri aliam scrip-

turam hoc modo: vir ἐφέρετο per scalā *διάφορον.* *Hæc sunt, quæ de hoc sophismate invenire potui: sed vtrum veritati consentiant, lectoris iudicio examinanda relinquo. Ego aliter hoc sophisma, sicut & alia nonnulla, quæ sequuntur, collegi, non quod aliorum expositiones omninò reiiciendas, aut hanc meā illis præferendam putarem: sed ut ostenderem hæc posse alio modo colligi, quàm quo interpretes collegerunt: qua in re si erraverim, ignoscat mihi lector, atq; eo lubentiùs, quòd in veritate investiganda, et non ex proposito erraverim.*

b Δίφρος *propriè dicitur locus in curru, in quo parabates, hoc est, qui è curru pugnat, & auriga sedebant, à duobus illis, quos ferret, dictus, quasi* δίφορος, *vt tradit Eustathius Il.* χ. *Per synecdochen pro toto curru vsurpatur. Sunt qui* bigā *interpretari malunt, id est, currum bijugem: significat etiam scamnum, quo gestantur infirmi: vsurpatur etiam pro qualibet sede sivè sella: de sedilium generibus sic scribit Athenæus. Sedebant (inquit) eo sæculo convivæ: ita multis in locis Homerus ait:*

Lib. 5. Deipno. sophist.

Deindè in sellis atque thronis sederunt.

Est autem thronus sella cum subsellio, in qua sedent liberi ingenuiq; homines, quam & nonnulli θρῆνυν *vocant, nomine sumpto à verbo* θρήσασθαι, *quod pro* sedere *vsurpant, quia sedendi causa affeyatur. Philetas.*

Θρήσασθαι, id est, sedere humi sub Platano.

Sella

Sella verò, quam clismon *nuncupant, ad corporis inclinationem curiosiùs ornatur. Vilissimum in hoc genere sedile fuit* δίφρος, *id est, scamnum. Itáque Vlissi, quia mendicus esse videretur,** δίφρον, *id est, scamnum fœdum apposuêre cum exigua mensa. Hæc Athenæus.*

* Ex nominis etymo, sellā, qua duo sedent.

c *Græcè apud Philosophum sic legitur:* ὅπου στέλλεσθε; πρὸς τὴν κεραίαν. *Hoc exemplum (inquit Niphus) non habetur in translationibus antiquis. Alexander & Herminius hoc in suis habent codicibus. Nonnulli existimant Homonymiam esse in verbo* στέλλεσθε, *quod vel significat*, missi estis ab aliis: *vel* properatis ex propria vestra electione. *Alij putant ambiguitatem inesse in voce* κεραίαν: *quæ significat vel antennam navis: vel Ceraam, proprium nomen loci.* Κεραία *prætereà significat cornu, idem quod* κέρας: *item apicem, punctum, virgulam: vsitatiùs vsurpatur pro navis antenna, quæ est lignum in transversum mali positum, vnde pendet velum. Utero quòque tribuuntur* κεραίαι, *quæ sunt duæ mammæ apophyses à lateribus ad ilia, papillæ seu cornibus exorientibus similes. Unde in omnibus his significationibus fieri potest Paralogismus.*

Anténa quid?

d *Hoc etiam sophisma non reperitur in translationibus antiquis. Alexander & Herminius habuerunt in suis codicibus. Alexander multifariam illud exponit.* Evarchus (*inquit*) *duplex est: et qui benè principatum gubernat, et qui*

 bonum

Εὔαρχος significat et eũ, qui bene prę-est imperio: et eũ, qui bene paret imperio.

bonum principatum habet, non tamen ipsum benè gubernat. Apollonides verò vnum tantum significat, scil. qui bonum habet principatum, malè tamen gubernat. Mathisius existimat, quòd Aristoteles loquitur hîc de Tyranno, alludens ad verborum ἔτυμον. Εὔαρχος enim benè imperans *latinè sonat* (ἀπὸ τοῦ εὐάρχειν) Ἀπολλωνίδης *à perdendo dicitur*: τὸ ἀπολλύειν *enim* perdere *significat: vnde & Apollo, teste Macrobio lib. 1. Saturnal. c. 17. nomen sortitus est. Quod ad hoc exemplum attinet, Apollonides (inquit Niphus) habebat duos filios: quorum alter Evarchus dicebatur: erat etiam Evarchus pater, qui habebat proprios filios. Superiùs igitur Aristoteles posuit sophisma ad Compositionem spectans, in quo frater Evarchi sic interrogabatur:*

Nonne Evarchus tuus est?
Nonne Evarchus pater est?
Ergo tuus pater est.

Sed tamen non pater est, sed frater tuus est. Hic Paralogismus Compositionis est, quia non valet:

Est pater, & tuus:
Ergo est tuus pater.

Aristoteles propter breviloquium vnam propositionem ponit, et non completam. Dicit enim fratri Evarchi:

Estné Evarchus? subaudi tuus. pergit.
Estné Evarchus pater?
Ergo est pater tuus.

Totum

Totum hoc vult esse supplendum. Tunc addit absurdum, dicens, non certè Evarchus tuus pater est, sed Apollonides. *ita sophisma illud potest intelligi secundum Compositionem. Hæc Niphus. Cuius quidem collectio valdè est probabilis.*

e *Cum argumentatio acutissima pariter à conclusione & à sumptionibus dubitationem afferat: perspicuum est in ea conclusionem ipsam æquè posse argumētū habere atq; propositiones siuè sumptiones. Itaq; si conclusio accommodatè ad contradicendum & refellendū transferatur in locū principis propositionis & Axiomatis, tota argumentatio, etiamsi constet pluribus syllogismis, plures illos syllogismos æquè atq; anteà ad concludendum aptos & valentes habebit. Sic sunt rationes apodicticæ, in quibus omnia retrò vicissim commeant, & æquè sunt causæ: in quibus etiam, vndèlibet, incipere licet. verbi gratiâ.* Alberius.

Madefactâ terrâ, vapores à sole ex-(citantur:
Vaporibus excitatis, nubes fiunt:
Nubibus factis, pluit:
Vbi pluit, madefit terra:
Madefactâ terrâ, vapores à sole excitantur:
Vaporibus excitatis, nubes fiunt &c.

f *Acutissima eademq; verissima fuit argumentatio Christi, quū argumentaretur hūc in modum:* si baptisma Iohānis est ex cœlo, ea, quę facio, etiā sūt ex cœlo; et vicissim; si ea, quę facio, sūt

ex cælo, baptiſma Iohãnis erat ex cælo. *Itaq; interrogatio Chriſti hæſitationem attulit principibus ſacerdotum & ſenioribus populi, quærentibus, qua autoritate Chriſtus ea faceret, quæ faciebat, et quis dediſſet ei iſtam authoritatem. Math. c. 21. interrogabo (inquit) vos & ego quiddam, quod ſi dixeritis mihi, et ego vobis dicam, qua autoritate hæc faciam. Baptiſmus Iohannis unde erat? è cælo, an ex hominibus? At illi cogitabant apud ſe dicentes: ſi dixerimus, è cælo, dicet nobis. Quare ergo non credidiſtis illi: ſin autem dixerimus ex hominibus, timemus turbam. Omnes enim habent Iohannem vt Prophetam: Et reſpondentes Ieſu dixerunt: Neſcimus. &c. Niphus huius acutiſſimæ argumentationis hoc aſſignat exemplum:*

Omnis mater diligit filium:
Medea eſt mater:
Ergo Medea diligit filium:

Hæc argumentatio eſt acutiſſima, quia ex maximè probabilibus interimit maximè probabile. Maximè enim probabile erat apud omnes Medeam filium ſuum odio habuiſſe, et tamen hîc probatur eam dilexiſſe filium, quod autẽ facit, vt quàm maximè dubitet Reſpondens, oſtendit Ægidius: quia ſi conceſſerit concluſionem, quàm maximè improbabile concedet: ſi autem negaverit

verit, oportebat negare vtramq́; vel saltem alteram præmissarum: et cum illæ sint quàm maximè probabiles, negabit quàm maximè probabile. Vnde si negaverit conclusionem accepto ipsius opposito pro Maiori, manente eâdem Minori, concludet quàm maximè improbabile: hoc modo:

Medea non diligit filium.
Medea est mater.
Ergo quædam mater non diligit filium:

Conclusio est improbabilis: quia ipsius oppositum est maximè probabilè. Similiter ex eodem conclusionis opposito cum eadem Maiore concludet maximè improbabile, vz. Medeam non esse matrem: hunc in modum.

Omnis mater diligit filium.
Medea non diligit filium.
Ergo Medea non est mater:

Quicquid igitur dicatur, semper videtur concludi, quod est maximè improbabile: et conclusio ex æquo se habet ad præmissas: quia sicut hæ cōclusionem improbabilem concludunt: ita oppositum conclusionis quàm maximè probabile concludit oppositum præmissarum, quod est maximè improbabile: quare fient syllogismi similes, quia semper

sẽper ex maximè probabilibus concludunt quàm maximè improbabile. Quæ cum ita sint, hæc argumentatio erit acutissima; quoniam in eas angustias redigitur Respondens, ut, quid cõcedat, aut quid neget, prorsus ignoret.

f Notat Niphus interrogationes, propositiones vel præmissas esse causam materialem & efficientem syllogismi: materialẽ ratione extremitatũ, quæ sũt Maior & Minor, quibus conclusio & syllogismus constat: efficientem ratione Medij termini, propter quem infertur conclusio, in qua Maior extremitas prædicatur de Minori. Ergo cũ dixerit Arist. De qua, respexit ad causam materialem: cum autem dixerit per quam, respexit ad efficientem. Quãvis requirantur duæ propositiones ad cõficiẽdã cõclusionem, ambæ tamen non æquè principaliter concurrunt. Tunc igitur erit argumentatio fatua, quando ea propositio prætermittitur, ex qua et per quam evidentiùs & principaliùs infertur cõclusio. Quare si syllogismus principaliorem propositionem prætermiserit, peccetq; in Materia, et falsum cõcludat, omninò est despicienda. Hæc Niphus.

g Ægidius hæc verba sic exponit: Cum autem in syllogismo, qui sumit improbabilia, non deficit aliqua propositionum, sed deest aliquid eorum, quæ extrinsecùs sunt, utputà propositiones, quæ mõstrãt aliquid acceptorum in syllogismo, tum bona & non contemnenda est argumẽtatio, quatenus non deest aliqua propositionum earum, ex quibus oratio immediatè

mediatè constare debet, sed interrogans non benè interrogat, quia cum sumpsisset ea, quæ non erant probabilia, debebat ipsa probare atq; declarare. Albebertus autem sic exponit: Quod si loco interrogationis illius, quæ ad argumentum Libri, et ad Medium verum constituendum necessaria est interrogatio quædam extrinsecùs assumpta quidem, sed nõ prorsus aliena adhibeatur, argumentatio eiusmodi erit quidem acuminis expers, sed non prorsus contemnenda: verum ille, qui interrogavit, non omninò culpâ vacabit. Rectiùs enim & acutiùs argumẽtari debuit. Vtræq; hæ expositiones bonæ sunt, sed putarem priorem illam sensum Philosophi magis attingere.

ANALYSIS

CAP. 8.

ARGVMENTVM.

CVm Aristoteles quatuor illa, quæ in initio huius libri proposuit tractanda, hactenus absoluerit, iã epilogum quendam subiungit, in quo primò summatim recenset ea omnia, quæ & in his duobus libris de Elenchis sophisticis, & in octo libris Topicorũ fusiùs explicavit. Secundò de Artium inventione quædam subiungit.

Lib.1.Elench c.3. vsque ad c.12.
Lib.1.c.12.
Lib.1.c.14.
Lib.2 c.1. 2. 3. 4. 5. 6. 7.

Cùm hactenus in his duobus libris ex quot, et qualibus locis Paralogismi fiant, quæ solent inter disputandum incidere: Deindè quomodo Falsum probet sophista & ad Paradoxa dicenda cogat adversarium: prætereà ex quibus colligatur [a] syllogismus, et quomodo interrogandum esset, et quæ sit interrogationum collocatio: Prætereà ad quid vtiles sint omnes huiusmodi interrogationes, ac de omni responsione simpliciter, et quomodo sint soluendæ argumentationes & syllogismi sophistici dictum à te sufficienter sit: quid iam in huius operis epilogo dicendum restat?

Iam restat, vt eo in memoriam revocato, quod in initio, nempè lib. Topic, c.1. propositum fuit, pauca de eo dicamus, ac finem huic tractationi imponamus. Ibi igitur institutum est invenire [b] quandam facultate Syllogisticam de quæcunq; re ad disserēdū proposita ex iis, quæ sunt quàm maximè probabilia. Hoc enim est officium Dialectices, tum eius, quæ per se dicitur, tum eius, quę Pirastice est, quæq; in tentando & experiendo cernitur.

Num Dialectices officium in eo tantū consistit, quod tentandi & periculū faciendi causâ Dialecticè & probabiliter quis alterum interrogare possit?

Nequaquam. Nam Dialectices officio hoc etiam adiunctum fuit (ne qua in re hæc ars sophisticæ, cui [c] vicina & finitima est, cedat) vt non solum possit quis periculum facere interrogando sivè oppònendo tantùm, sed etiam in respondendo scientiam quandam & cognitionem præ se ferat. Idcircò non solum dictum ibidem

ibidem fuit istius de differendi ratione tractationis officium in hoc tantum consistere, vt nos per Dialecticam possimus argumentum sumere, hoc est, interrogare sivè opponere, sed etiam vt disputationem sustinentes tueamur thesin simili modo per ea, quæ sunt quàm maximè probabilia: quod in Respondendo consistit. Atque huius rei causam paulò antè exposuit. Cum itaque Dialecticus non solùm interrogare, sed etiam respondere teneatur, necesse est, vt scientiam quandam præ se ferat, quâ qui caret, interrogare tantum, et non respondere, nec rationem eorum, quæ interrogata sunt, reddere solet: et ob hanc causam Socrates semper interrogabat, numquam, aut quàm rarissimè respondebat, quia se nihil quicquam scire profitebatur.

Quid in prioribus illis Lib. nempè Topic. explicatum est?

Explicatum fuit lib. 1. Top. c. 2. ad quot vtilis esset Dialectica, nempè ad exercitationem, ad congressum et philosophicas scientias: explicatum fuit c. 3. ex qualibus & quot propositionibus Dialecticæ disputationes constarent, vbi quatuor Prædicata recēsebantur. Declaratum etiam est cap. 11. quatuor esse instrumenta, per quæ nobis copia argumentationū suppeteret: de quibus omnibus fusè dictum fuit vsq; ad Octavum lib. Topic. In quo deniq; de ratione interrogandi, et quomodo collocanda sit omnis interrogatio Dialectica: nec non de responsionibus & solutionibus, quæ ad syllogismos afferuntur, et omninò de omnibus, quæcunque ad disputandi Methodum pertinent, dictum fuit. Postremò in duobus lib: Elenchorum de Paralogismis actum est, vt paulò

Hic non speciatim recēsentur quæ octo lib. Topic. tradita sunt, sed ea, quæ li. 1. et 8. summatim tradidit.

paulò antè diximus. Quæ cum ita sint, satis commodè ad finem & exitum id perductum est, quod in initio institutum erat.

SCHOLIA IN CAP. 8.

a *Grouchius nō* syllogismus, *sed* solœcismus *legit: Cum in Græco contextu sic legatur:* ὅτι δ', ἐκ τίνων συμβαίνει ὁ συλλογισμός. *Quamvis Mathisius Grouchium in eo tueri ac defendere videatur. Fieri potest (inquit) ut in Græcis mendum sit. Grouchio & Mathisio illud favere videtur, quod Arist. in his lib. Elenchorum non exposuerit ea, ex quibus colligatur syllogismus. Hoc enim in lib. Topic. præstitit: unde videtur legi:* Solœcismus *potius quàm* syllogismus: *nisi syllogismum sophisticum intellexisse Aristotelem dicamus.*

b *Convenit hic locus cum initio lib. 1. Topic. Ibi enim sic legitur:* ἡ μὲν πρόθεσις τῆς πραγματείας, μέθοδον εὑρεῖν, ἀφ' ἧς δυνησόμεθα συλλογίζεσθαι περὶ παντὸς τοῦ προτεθέντος προβλήματος ἐξ ἐνδόξων. *Quod in Topicis* μέθοδον, ἀφ' ἧς δυνησόμεθα συλλογίζεσθαι *ait, hîc breviter* δύναμιν συλλογιστικὴν: *quod in Topicis,* περὶ παντὸς τοῦ προτεθέντος προβλήματος, *hîc uno verbo* περὶ τοῦ προβληθέντος *ait. Quod etiam in Topicis,* μηθὲν ἐροῦμεν ὑπεναντίον, *hîc* φυλάξομεν τὴν θέσιν ὡς δι' ἐνδοξότατα *ait.*

c *Sophisti-*

c Sophistice summam affinitatem & similitudinē habere videtur cum Dialectica: quia illius captiones speciem habent verarum argumentationum: sicut habet Arist. l. 1. c. 1. Deinde etiam omniū rerum scientiam sibi arrogant Sophistæ: vnde non solum ipsius Sophistices officium est interrogare, sed etiam respondere. Quæ cùm ita sint, etiam Dialectices munus erit non solum rogare & ex rogatis concludere, sed etiam respondere, & ea, quæ obijciuntur, arte depellere: alioquin inferior esset, quàm Sophistice.

d Sophistæ (vt constat ex Platone) omnia se scire iactitabant: Socrates autem nihil. Itaq; hic interrogabat in disserendo, illi non solum interrogabant, verum etiam respondebant, idq; superbè satis & insolentèr. De Socrate sic loquitur Varro in Academicis Ciceronis. Socrates in omnibus ferè sermonibus, qui ab ijs, qui illum audierunt, præscripti; varij copiosiq; sunt, ita disputat, vt nihil affirmet ipse, refellat alios, nihil se scire dicat, nisi id ipsum, eóque præstare cæteris, quod illi nesciant, et scire putent, ipse nihil se scire. De Socratis sententia, quam Arcesilas Academicus amplexus est, quâ vterq; nihil se scire profitebatur, vide Lactantium libro tertio de falsa sapientia capite sexto. Lactantio ista sententia ἀσύςατος, hoc est, instabilis & inconstans visa est. Vt enim nihil

sciri posse sciendum sit, inquit, aliquid sciri necesse est. Nam si omnino nihil scias, idipsum, nihil sciri posse tolletur. Verum Socrates (inquit Mathisius) modestiæ causâ, vt Sophistarum contrà sentientium tumorem redargueret, ita loquutus esse videtur. Legimus etiam Parmenidem interrogare semper solitum fuisse. Hinc patet maiorem scientiam in Respondente, quàm in Opponente requirendam esse: maiusq́; onus illi, quàm huic esse impositum. Respondentes enim dicũtur ab Arist. λόγον ὑπέχοντες, id est, disputationem sustinentes: *ac si onus quoddam ab opponente eis imponatur, quod ferre sit difficile. Nam is, qui respondendi partes in se suscipit, debet omnia captionum genera ac loca, vndè ducuntur, cognita et explorata habere, quo huiusmodi faciliùs possit evitare: non aliter quàm is, qui in pugna ab hoste se defendit, debet omnes adversarij ictus prævidere, quò faciliùs eos effugere possit.*

In Platonis Sophista.

Lib. 1. Topic. cap. 1.

ANA-

ANALYSIS

CAP. 9.

ARGVMENTVM.

ARistoteles hîc primò exponit quo pacto adinventæ sunt Artes. Secundò ostendit se Artem Dialecticam primùm invenisse. Tertiò excúsat se, si omnia minus rectè in hac Arte tradiderit: vndè omissorum in hac Arte veniam, inventorum gratiam petit.

Jam verò, vt nihil in hac tractatione nos lateas, velim, vt explices quomodo Ars Dialectica ad alias Artes se habeat: num inveniatur eodē modo, quo cæteræ Artes inveniūtur?

Hoc ipsum statim explicabo, si prius Artium initia & incrementa exposuero. Artes ergo, quæ ab hominibus inveniuntur, sunt in duplici differentia. [a] Quædam sunt, quæ, ab aliis priùs inventæ & excogitatæ, posteà temporis progressu adauctæ & perpolitę sunt eorum operâ, qui illas ab aliis inventas exceperunt. 1
Quædam sunt, quę ab initio inventæ, sed non ita multum à principio incrementum & perfectionem susceperunt, nec per posteros aut adauctæ, aut perpolitæ fuerunt, sicut priores. Sed tamen multò plus vtilitatis habent illa principia harum Artium, quàm reliqua omnis, quæ ex iis proficiscitur, accessio. 2

Quomodo probas principium harum Artium vtilius esse omni accessione & incremento, quæ postea ex ijs proficiscebantur?

Hac ratione:illud,quod est maxima pars totius, est vtilius omni accessione,quæ posteà ex ea re proficiscitur:sed [b] principium (vt dici solet) est maxima pars totius.Ergo vtilius est omni accessione:vnde fit, vt etiam sit omnium difficillimum. Quantò enim vi & facultate maiore est,tanto minore est magnitudine,eáque de causa inventu difficillimum est : sed postquam semel inventum fuerit,facile est ei adiicere & conferre, quod reliquum est. Porrò autem illud, quod dixi, cùm in aliis ferè omnibus Artibus, tū in politicis orationibus, hoc est,in Arte oratoria vsuvenisse maximè conspicitur.Qui enim huius Artis principia invenêre, parum admodum progressi sunt, nec eam perfectam reliquerunt:summâ tamen cum difficultate huius initia excogitarunt:qui autem nunc in ea Arte sunt illustres & probati,acceptā,quasi per successionem,à multis per partes promoventibus,eam adauxerunt, et in eos fines,quos nunc habet, hanc Artem protulerunt, iamque perfectam & omnibus suis numeris absolutam reddiderunt.

Vide lib. 1. Rhetoric. ad Theod.

Qui sunt,qui Arti oratoriæ,postquam fuerit inventa, incrementum & perfectionem adiecerunt?

[c] Tisias quidem primus addere cœpit iis initiis, quæ à primis inventoribus profecta erant. Hunc [d] Thrasymachus secutus est : cui deindè successit [e] Theodorus aliique permulti, qui singuli suas quasdam particulas adiecerunt : vt iam non sit mirum, hanc Artem in tantam magnitudinem excrevisse, vtpotè

potè quæ multitudinem quandam præceptorum contineat.

*Nonnè * Dialectica, sicut Rhetorica reliquæq; Artes, primò à quibusdam erat inventa: deindè aliorũ operâ & industria erat exculta & perpolita?*

Nequaquam. Dialectica enim Ars non fuit inventa ante tempora Aristotelis, nec omninò aliqua huius Artis particula extabat.

Per Dialecticam hic intelligitur ratio conficiendorum syllogismorum: sicut in fine huius lib. habetur: vbi Arist. sic ait: περὶ δὲ τοῦ συλλογίζεσθαι οὐδὲν εἴχομεν πρότερον λέγειν ἄλλο: ἀλλὰ τριβῇ ζητοῦντες, πολὺν χρόνον ἐπονοῦμεν.

Obiectio.

Multi ante tempora Aristotelis ex litigiosis disputationibus quæstum faciebant, necnon hanc disserendi rationem mercede conducti alios docuerunt. Ergo falsum est Dialecticam ante tempora Aristotelis non esse inventam.

Solutio.

Etiamsi reverà multi ante tempora Aristotelis Dialecticam & disserendi rationem profiterentur, qua ingentem pecuniarum summam ex imperitis discipulis extorquebant: tamen eorum institutio, qua alios docebãt, erat similis [f] Gorgiæ tractationi. Vt enim hic & alii orationes Rhetoricas ad dicendum: ita illi orationes ad interrogandum compararas sivè Dialecticas ad disputandum discipulis tradebant ediscendas de iis rebus, in quas sæpiùs suos vtrique sermones inducebant. Vnde efficiebatur, vt discipuli celeriter illi quidem, sed citra vllam Artem, quæ ab illis tradebantur, discerent. Illi enim ita demum se rectè instituere ac docere existimabant, si non Artem ipsam, sed ea, quæ ab Arte efficiuntur, hoc est, ipsum Artis opus, nempè argumenta traderent discipulis.

Quibus similes hos esse iudicas, qui hoc modo sine Arte discipulos suos docent?

Similes iis esse iudico, qui Artem mechanicam alios docturi, non ipsam Artem docent, sed Artis opera iis suppeditant. Vt si quis se profiteatur Artem edocturum, qua effecturus sit, ne pedes inter eundum vllus lædat aut offendat, ac posteà non doceat corium, ex quo fiant calcei, incidere, nec vndè eiusmodi instrumenta parari possint, hoc est, non doceat sutoriam Artem, sed multa det genera variorum calceorum, et magnam calceorum multitudinem subministret. Nam vt hic ad vsum quidem profuit, Artem autem non tradidit: ita eodem modo, qui Dialecticam aut aliquam aliam facultatem traditurus est, et non ipsam Artem tradat, sed artis opus, potest quodamodo discipulis prodesse, sed vt fiant Dialectici aut differendi Artem acquirant, efficere non potest.

Num Rhetorica ante Aristotelis tempora fuit inventa?

Maximè. De hac enim Arte satis multa à veteribus tradita habuit Arist. sed de syllogismis conficiẽdis, qui ad Dialecticam pertinent nihil planè habuit, quod aliis acceptum ferat: sed longo vsu & exercitatione singula inquirendo multum temporis cum labore consumpsit in iis inveniendis & perficiendis. Vnde is primus artem Dialecticam quoad syllogismorum cõfectionem inuenit, et inventa perfecit ac propolivit. Si igitur Aristotelis de Dialectica tractationem inspicientibus videatur non esse hæc Methodus aut Ars ex talibus initio extantibus satis perfecta, et exculta præ aliis disciplinis, quæ posteà temporis progressu incrementum & perfectionem susceperunt, hæ profectò

Aristoteles rationem cõficiendorum syllogismorum primus invenit. Vnde Modi & Figuræ ante ipsius tempora non erãt cognita.

fectò omnium tum legentium, tum audientium partes esse debent, vt siqua sint prętermissa ad huius Methodi & Artis consummationē, ea philosopho bonâ cū veniâ condonent: et siqua rectè inventa, multâ eo nomine gratiâ illum prosequantur,

---

SCHOLIA IN CAP. 9.

HVc pertinet, quod habet Rodolphus Agricola lib. 2. c. 7. primùm constat (inquit) Artes omnes paulatim & per incremēta repertas fuisse: neq́ quisquam idem Artem aliquam capit & absoluit. Et paulò post. Facta sunt hæc (inquit) antequam Artes fierent, et ob id ipsum, quod crebrò sunt facta, longâ rectè secusq́ factorum annotatione, Artes esse capere. Provenere deindè præclara ingenia, quæ dispersa colligerent, confusa disponerent, explerent imperfecta, rudia perpolirent, et omnia complecterentur, non modò quæ facta essent, sed quæ fieri etiam possent. Hæc Agricola. Hinc est quod Arist. ait. Tempus (inquit) talium est inventor bonus atq́ adiutor: vndè & Artiū facta sunt incrementa. Est enim cuiuslibet id, quod deest, supplere ac addere. Hæc Arostoteles. Hinc patet Artium alias inveniri per successionem, principijs aut rudibus aut falsis inventis, per posteros diligentiùs excultis: Alias inveniri

Lib. 1. Eth. c. 7.

Niphus.

1

2

veniri saltem perfectas, et si non totas: et harum illud, quod à principio invenitur, utilius est eo incremento, quod à posteris adiectum fuit.

b *Principium dicitur maxima pars totius, quia maior difficultas est in principio inveniendò, quàm in reliquis adijciendis. Ex hoc loco nota,* principia Artium esse mole minima, sed potestate maxima.

Tisias. c *Tisias natione Siculus fuit, Coracis Rhetoris discipulus: cui arguté δίδακτρον seu mercedem negavit. Corax enim, qui primus Artem dicendi mercede professus est, Tisiam ea lege instituendum suscepit, ut mercedis partem præsentem numeraret, reliquam tum demum persolveret, quùm in iudicio, causâ peroratâ, victoriam reportasset. Quum itáq; non parũ in Arte profecisset, causam tamen nullam reciperet, idq; fraude facere videretur, ne reliquum mercedis præceptori persolueret. Corax hominẽ in ius vocat causamq; omnẽ in hoc Dilemma confert.* Disce (inquit) stultissime adolescens, vtroq; modo futurũ, quod postulo, sivè viceris, siuè condemnatus fueris. Nam à victore merces mihi *ex pacto* debebitur: quùm ita inter nos convenerit, vt quùm primam ex iudicio victoriam reportasses, reliquum mihi mercedis persolveretur. Sin ergo vicero, nihilominùs iudicii laqueis tenebéris, vtpote sententiis iudicum condemnatus. *Ad hæc Titias,* Imò (*inquit*) tu potiùs disce, pręceptor

ceptor sapientissime, neutro modo futurum, quod postulas. Nam si tu viceris, ex pacto nulla tibi debebitur merces: quandoquidem ita convenit, vt eam tũ demum persoluerẽ, quũ causâ peroratâ, victor discessissem. Sin ego vicero, quid quæso, expectes à victore iudicũ calculis absoluto? *Quibus auditis, iudices adolescentis ingenium admirati, feruntur acclamasse:* κακοῦ κόρακος κακὸν ᾠόν, *id est*, mali corui malum ovum, *alludentes nimirum ad Coracis nomẽ, quod Latinis* corvum *significat. De Tisia Arte dicendi vide Platonem in Phædro.*

d *Thrasymachus Carthaginensis sophista, periodon & colon primus monstravit, ac modum, qui nunc est Rhetorices. Nam enumeratur inter primos huius Artis inventores: fuit Isocratis discipulus, vt scribit Suidas. De eo sæpe fit mentio apud Platonem: qui in Dialogo primo de Repub. sivè de* Iusto *sic scribit.* Et tum ego videbam, quod priùs numquam, Thrasymachum erubescentem. Thrasymachus.

e *Theodorus fuit Byzantius sophista, qui à Platone vocatus est* λογοδαίδαλος, *nempè qui venustatem & artificium sermonis, non sensuum acumen consectatur.* Λογοδαίδαλος *enim significat orationum seu verborum ingeniosum & artificiosum concinnatorem, seu orationum peritum artificem:* ἀπὸ τοῦ λόγου, καὶ δαιδάλου, *quorum illud verbum* orationem, *hoc* Dedalum Theodorus. λογοδαίδαλος

ine-

ingeniosum illum artificem Cretensem à poetis celebratum significat: ἀ δαίω significāte γιγνώσκω, quasi δαίδαλος. Vide Platonem in Phædro.

Gorgias. *§ Gorgias Leontinus Philosophus, Siculus Rhetor Empedoclis discipulus. Isocratis & aliorum Philosophorum & Rhetorum præceptor. Hic Arte suâ tantum pecuniæ corrasit, vt auream statuam primus omnium poneret in templo Apollinis Delphici. Ausus est primus in conventu poscere, qua de re quisq; vellet audire: ac de omni re, quæcunq; in disceptationem quæstionēq; vocaretur, se copiosissimè dicturum esse profitebatur. Is instituit orationem extemporalem, et declamationes exercitationis causâ, teste Philostrato: Hic non Artem ipsam docebat discipulos, sed ea, quæ Artis sunt: hoc est, quasdam orationes Rhetoricas (vt ait Arist.) discipulis ediscendas tradidit, et in locis cōmunibus eos exercitavit, exemplis, nescio quibus,* Mathisiut. *ac formulis sinè Arte propositis, quomodo & Iureconsultos primum suam Artem edocuisse Marcus crassius autor est lib. 1. de orat. Sed vt nemo sutoriam artem docet immensam calceorum multitudinem prebens, qua pedes adversus offendicula munias: ita sophismatum aut captionum exemplis suppeditatis nemo veterum sophisticen aut Dialecticam reverà docuisse credi debet. Ad hoc vt Ars doceatur, non satis est exempla, sed etiam*

præcepta

præcepta tradere necesse est, quæ exemplorum tandem suppositione illustrantur. Ex hoc loco patet quod & in Rhetorica & in Dialectica erant Sophistæ. De Gorgia plura vide in Dialogo Platonis, qui eius nomine Gorgias *inscribitur.*

g *Ex hoc loco patet quid sit officium lectoris, qui aliorũ libros legere, necnõ auditoris, qui alios audire solet, nempè, vt vterq; ea, quæ minus explicata, vel omnino prætertita esse videantur, pro suo candòre æqui boniq; consulat: et pro ijs, quæ rectè tradita constitutaq; sunt, debitas & ingentes gratias agat. Vellem (inquit Mathisius) hanc conclusionẽ etiam atq; etiam diligenter expendere eos, qui tã insolenter ac proterve hactenus editis (nescio quibus) animadversionibus in Aristotelem insultarunt. Certè si quid liberalis animi in ijs insit, non dubito, quin hoc diligentiùs animo reputato longè secus sensuri sunt, atq; huc vsq; senserunt, præsertim cum ita in Metaphisicis scribat Aristoteles.* Verum non solum (*inquit*) illis agendæ sunt gratiæ, quorum opinionibus quis acquiescet, sed illis, qui superficie tenus dixerunt. Conferunt enim aliquid etiam isti. Habitum namque nostrum exercuerunt. Si enim Timotheus non fuisset, multum melodiæ (hoc est Musicæ) nequaquam habuissemus. Si tamen Phrynis non extitisset

Officium lectoris.

Mathisius.

Lib. 2. c. 1.

tiſſet ; ne Timotheus quidem . Simi-
li modo & de illis eſt , qui de veritate
aſſeruerunt . A quibuſdam enim aliquas
accepimus opiniones : quidam verò , vt
fierent , cauſa fuerunt , *Hæc Ariſtoteles.*

Laus ſoli & immortali Deo.

FINIS.